Fitch Eduardus
De Argonautarum reditu
quaestiones selectae

UNIVERSITY OF TORONTO
3 1761 00631257 3

BL
820
A8F5

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/deargonautarumre00fitc

DE ARGONAVTARVM REDITV QVAESTIONES SELECTAE.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

CONSENSV ET AVCTORITATE

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

EDVARDVS FITCH.

GOTTINGAE 1896.

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT.

W. FR. KAESTNER.

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit
V. de Wilamowitz-Moellendorff, Prof.

Examen rigorosum habitum est
a. d. III. kal. Iul. a. h. s. XCVI.

707697

VDALRICO DE WILAMOWITZ-MOELLENDORFF

S.

707697

De Argonautarum reditu disserturo fabula se offert cuius memoria apud veteres iam antiquissimis temporibus cognita fuit. Nihil quidem apud Homerum de illa expeditione comperimus nisi Iunonis ope salvos eos rediisse ab Aeeta[1]). Tum in Hesiodeis[2]) exstitit mentio reditus per Phasim et Oceanum facti. Etiam Mimnermus quem propter aetatem cum his principibus consociare licet reditum Iasonis vellusque aureum reductum cecinit[3]). Quae testimonia id potissimum palam faciunt hanc fabulam vel priscis temporibus et bene notam et sine dubio in poetarum ore versatam esse: quid quod Argo Homero πᾶσι μέλουσα appellatur. Iter Iasonis et apud Hesiodum et apud Mimnermum disertis verbis cum Oceano coniungitur. Oceanus autem, quis et ubi esset, prout quisque inter veteres notitiam orbis terrarum latiorem artioremve possideret, aliter intellegebatur. Quare mirum non est, cum poetae primis temporibus domum Aeetae, prope Oceanum sitam, ab Iasone petitam reditumque inde factum esse finxerint, ea quoque quae de reditu ab Oceano narrabantur in eadem inconstantia versari. Quae tam varia per multa saecula scriptores aut versibus aut soluta oratione de illo reditu protulerunt, ea nondum omnia percensebo. Id tantum praemonendum est non solum de fabula Graeca agi, sed etiam de terrarum mariumque sensim aucta cognitione.

1) Od. μ 69—72.

2) In scholiis Apollon. IV 259. 284.

3) Frag. 10.

Accedit quod praeter Pindari Pythicum IV. nullum ipsi manibus tenemus carmen quod saeculo tertio antiquius est. Habemus autem carmen Apollonii Rhodii epicum, cuius quartus liber reditum Argonautarum multis enarrat. Tum scholiorum gratia etiam operae atque diligentiae fructibus utimur quam grammatici veteres in fontibus Apollonii explorandis collocaverunt, unde quae ratio inter Apollonium et scriptores priores intercesserit, multis in rebus statui potest. Recentiores quicumque Argonautarum res celebrant plurima Apollonio debent. Quam ob rem in hoc carmine, quod ad nos attinet, summa totius memoriae continetur. Quae cum ita sint, ipsa rei natura ab Apollonio initium capi iubet, et tali ratione totam quaestionem de Argonautarum reditu tractare mihi aliquamdiu propositum erat. Quod cum nunc quidem ita ut faciendum esse intellego ad finem perducere nondum valeam, haec capita quasi initia operis integri promere constitui.

Primum igitur via qua Argonautae secundum Apollonium redeunt examinanda est. Ac totam quidem narrationem tribus ex partibus constare, quae potissimum ad tres regiones pertinent, mihi certum videtur. Finxit enim poeta heroes Ponto relicto per Histrum fluvium usque ad Cauliacum montem navigantes, inde per alteram Histri partem, qui illic dividatur, in mare Adriaticum devenisse. Sic conficitur pars prima itineris.

Dei propter Apsyrtum interfectum irati Argonautas, viam in Thessaliam iam ingressos, quo volebant statim pervenire vetant. Tempestatibus depulsi retro in Eridani ostium vehuntur. Hinc contra aquam cursum tenent usque ad Rhodanum fluvium, per quem descendentes in mare quod est ad occasum ab Italia versum evadunt. Secundum Italiae oram et praeter Thrinaciam insulam (i. e. Siciliam) navigantes denique ad Phaeaciam (i. e. Corcyram) appellunt. Unde pars itineris tertia initium capit, namque denuo procellae reditum in Thessaliam interpellant. Profecti enim ex insula Phaeacum aliquamdiu prospere procedunt: brevi vero a tempestate ingenti ad Syrtes et oram

Libycam deferuntur, unde nave umeris sublata ad mare Tritoniacum pedibus perveniunt. Inde Tritonis dei ope via per Creticum et Aegaeum mare facile et sine erroribus conficitur.

Hanc mirabilem reditus rationem cum in universum inspiciamus, nulla ratione singularum rerum habita, facile apparet quam viam Apollonius in narratione sua instruenda ingressus sit. Tres regiones, quae inter se late distant neque quidquam commune habent, violenter in unam reditus rationem complectitur et conglutinat. Si enim iter per Histrum et Adriam fit, nihil est cur Argonautae ad mare Tyrrhenum perveniant. Rursus eisdem per mare Tyrrhenum redeuntibus nulla est ratio cur in intimum Adriae sinum penetrent. Porro fabulosus ille ad mare Tritoniacum aditus ad rationem reditus respicit quae nequaquam cum via altera utra circa Italiam facta conspirat. Itaque narratio Apolloniana ita intellegi non potest ut quaeramus quomodo res aut verisimiliter aut simpliciter aut eleganter exponi potuerit.

Iam primum monendum est, id quod satis superque notum est, Argonautica Apolloniana ea aetate orta esse, cum carmen epicum non amplius ex copia ubertateque ingenii poetici profluebat, atque cum Vergilio potius quam cum Homero Apollonium componendum esse. Sed haud scio an poeta Rhodius per hanc comparationem nimis laudetur. Nam cum opus esset utrumque multa quae sibi deessent per doctrinam supplere, Romanus poeta doctrinam (ut ita dicam) perdomuit et suis usibus facile obsequentem reddidit, Graecus autem multa ac diversa coacervavit [1]) et maxime in rebus geographicis importunum omnia in unum complectendi, res diversas ad concentum consensumque redigendi studium ostendit. Nam cum poeta doctus materiam ingentem ante oculos haberet atque de iisdem rebus

---

1) In universum sententiam tuli. Sane librum III. Argonauticarum haud recte ita depresseris: item Vergilius in libro Aeneidos III. ad peiora delapsus est.

narratiunculas inter se vehementer repugnantes pari auctoritate esse animadverteret, satis non habuit — id quod veri poetae est — optimis selectis imaginem unam atque integram depingere. Immo vero ubique patet studium fabularum contaminandarum, quod dissimulare poetae non contigit, fortasse etiam curae non fuit [1]).

Potissimum ex Argonautarum reditu exempla huius studii peti possunt. Supra enim monui tres esse regiones [2]) quae in unius reditus fines coartatae sunt. Quod ad Libyam attinet, mirum esset si haec fabulae pars silentio praetermitteretur quae iam saeculo ante Christum quinto, testibus Herodoto et Pindaro, pervulgata, etiam saeculo septimo, ut docet illa de Cyrenis conditis memoria, nota fuit. Tum versus illi Odysseae [3]) effecerunt ut scriptores recentiores, veriloquiorum rerumque mirabilium studiosi, multa Argonautarum vestigia in mari Tyrrheno invenirent. Testimonia tam praeclara Argonautas vel Adriam adiisse sane desunt: sed tamen monumenta ac memoriam huiusmodi in his regionibus exstitisse in dubium vocari non potest [4]). Sed de his mox, cum de Callimacho agam, dicendum erit.

Quas tres reditus species in unum redigere, quam arduum fuerit, poeta ipse semel diserte profitetur. Postquam enim Argonautae in Adriam venerunt, iam itinere usque ad insulam Hyllensium prospere confecto exclamat poeta [5]):

> ἀλλὰ θεαί, πῶς τῆσδε παρὲξ ἁλὸς ἀμφί τε γαῖαν
> Αὐσονίην νήσους τε Λιγυστίδας, αἳ καλέονται
> Στοιχάδες, Ἀργῴης περιώσια σήματα νηὸς
> νημερτὲς πέφαται;

Manifeste confitetur poeta quae sit ratio sua carminis in-

---

1) Verbi gratia in IV, 610 seqq.

2) Libyam, maria Tyrrhenum, Adriaticum.

3) μ 69—72.

4) Quae memoria unde nata sit exposuit O. Müllerus *Orchomenos* p. 292.

5) IV, 552 seqq.

struendi; suo enim iudicio non licitum esse insignia Argonautarum vestigia quae sint in mari Italico silentio praetermittere. Vides igitur his in versibus suturam (ut ita dicam) quae aperte monstret ubi et quomodo duae res diversae et inter se discrepantes commissae sint. Hic quoque, ut supra factum est, conclusionem ex ipso carmine efficimus, etiam si non inquirimus quae vel Callimachus vel Timaeus vel alius quispiam de Argonautarum reditu scripserint. Primum igitur Apollonius unus audiendus est, atque hic ipse satis docere videtur a versu 552 aliquid novi incipere. Quae cum ita sint, primum est in carmine interpretando eam partem examinare quae iter a Ponto usque ad Adriam factum enarrat, tum de fontibus, unde poeta hauserit, disserere. Sic etiam apparebit utrum conclusiones, quae ex carmine in universum inspecto effectae sint, confirmentur an redarguantur.

I.

DE REDITV PER HISTRVM SECVNDVM APOLLONIVM.

Initium carminis interpretandi a versu libri quarti 254 capiamus, ubi Iaso ea quae Phineus de alio reditu vaticinatus erat repente in memoriam sociorum revocat. Heroes enim a Colchis fugientes, itinere trium dierum iam confecto, ad litora Paphlagonum appulerunt. Iaso autem, qui verborum Phinei memor est, haec alia navigatio quomodo instituenda sit nequaquam scit. Statim suadet Argus, Phrixi filius, ut per Histrum egressus petatur, exponens quae sit viae natura [1]). Faustum omen consilium Argi corroborat et viam ad Histri ostium monstrat [2]). Sequitur descriptio itineris a Ponto per Histrum usque in Adriam facti [3]).

1) 257—293.
2) 294—302.
3) 303—337.

Itaque res duas uno sermonis contextu comprehensas tenemus, dico viam quam Argus exponit et viam quam Argonautae revera conficiunt. Licet igitur exspectare has duas inter se concinere, propterea quod poeta fingere videtur Argonautas id quod Argus suasit perfecisse. Nihilominus inest in verbis, sicut tradita sunt, discrepantia, in eo quidem quod Argus rem aliter atque exspectes exposuit. Quae cum ita sint, eam narrationis partem[1]), de qua nulla fere dubitatio est, examinabo, tum ad illam Argi orationem interpretandam aggrediar.

Ac primum quidem et Argonautae et Colchi qui eos persecuntur ad Histrum cursum tenent. Hister autem, qui insulam triangularem circumfluit, per duo ostia aquam in mare mittit. Illud ostium quod est sub imam insulae partem duce Apsyrto Colchi intrant et prius quam Argonautae usque ad intimum sinum maris Ionii perveniunt[2]). Ubi sit mare illud, ex versibus 327 seqq. satis apparet.

Ego quidem non intellego qua ratione interpretandi Gerhardus[3]) et Merkelius[4]) usi sint, qui de parte occidentali Ponti Euxini hic agi putant. Scholia enim ad versum 308 adscripta nihil afferunt quod huic opinioni faveat[5]). Neque apud veteres opinio ista pervulgata erat, id quod paulo infra demonstrare conabor. Sed redeamus ad ipsam narrationem.

Argonautae per alterum Histri ostium, a septemtrione Peuces insulae situm, viam tenent. Thraecum Scytharum Sigynnorum terram, Angurum montem praetervecti, ad scopulum Cauliacum perveniunt, ubi Hister in duas partes scinditur: tum campo Laurio praeternavigato mox a Colchis obsidentur qui in mare Saturnium egressi sunt. Unde hic egressus factus sit, e versibus 307—308 colligi potest, ubi dicitur Colchos cervice terrae traiecta usque ad in-

1) 302—337.

2) 308.

3) Rem tractavit Gerhardus in *Lectionibus Apollonianis* pag. 81.

4) ad Apollonii B 745.

5) cf. etiam Schol. Eurip. in Hippol. 736.

timum Ionii maris sinum penetrasse, Argonautas praevenientes. Poeta igitur rem sic excogitavit quasi pars intima sinus Ionii, quem in locum Colchi iam pridem penetraverant, illud mare quod est Κρονίη ἅλς[1]) attingeret. Itaque dicit Colchos in mare Saturnium ingressos exitum Argonautarum, qui iam fluvium descendant, praecidisse, appulisse autem hos ad duas Dianae insulas quae solae nondum a Colchis occupatae essent.

Sic rem enarrat Apollonius neque dubium esse potest quid voluerit. Recte explanat scholiasta[2]), sic dicens: φησὶ δὲ κατὰ τοῦτο τὸ ὄρος [sc. σκοπελὸν Καυλιακόν] τὸν Ἴστρον διασχιζόμενον τὸ μὲν εἰς τὸν Ἀδρίαν, τὸ δὲ εἰς τὸν Εὔξεινον ῥεῖθρον εἰσβάλλειν. Atque pergere poterat, διὰ δὲ τοῦ Ἴστρου οὕτως ῥέοντος τοὺς Ἀργοναύτας εἰσπεπλευκέναι εἰς τὸν Ἀδρίαν. Iam ratione satis certa effici potest unde Apollonius suam locorum notitiam sumpserit. Nam de Anguro monte scholiasta ad vs. 324 haec enotavit μνημονεύει δὲ αὐτοῦ Τιμάγητος ἐν Λιμέσι; quod bene cum illis de eodem auctore ad vss. 259, 284, 306 adscriptis consentit. Tum Hellanicus gentis Sindorum mentionem fecit[3]). Unde concluseris scriptores rerum geographicarum plurima de his regionibus contulisse. Exstat autem in his unum singulare quod etiam naturae Apollonii maxime consentaneum est. Nam in versu 327 de mari Saturni agitur, quod suspicari licet illam maris partem esse quae Histri ostio proxima est. In sequentibus autem rem paulo aliter depinxit. Mentio enim Hylli fit[4]) qui coloniam Phaeacum in mare Saturnium deduxerit et nomen genti Hyllensium insulas prope Illyriam habitanti dederit. Sed quoniam Hyllenses partem maris extremam revera non incolebant, haec verba βῆ δ'ἅλα δὲ Κρονίην potius in universum accipias et totum mare quod Corcyraeis ad septemtriones versum iacebat intellegas. Itaque mare Saturnium mari Ionio aequiperare licet. Nunc in

1) 327.
2) ad IV, 324.
3) in schol. ad IV, 321.
4) 548.

mentem venit poetam, qui rerum maxime reconditarum studiosissimus est, etiam hic appellationem raram et fere oblivioni datam retinuisse. Quae opinio scholiorum testimonio confirmatur. Vide argumenti libro IV. praefixi initium: καὶ ἐπεραιώθησαν εἰς τὸ πάλαι μὲν καλούμενον Κρόνιον· Haud levis momenti est quod Aeschylus [1]) idem mare μέγαν κόλπον Ῥέας vocavit, simul addens hoc esse nomen vetustius. Exstabant igitur priscis temporibus appellationes huius maris a nomine vel Saturni vel eius coniugis ductae. Quo spectent talia indicant testes aliquot ut recentes ita haud spernendi.

Ac primum Plinius [2]) de mari septemtrionali remotissimo disserens haec dicit: *A Tyle unius diei navigatione mare concretum a nonnullis Cronium appellatur.* Tum simili ratione in Orphicis 1085 mare Cronium haud procul ab Hyperboreis situm commemoratur. Denique eandem memoriam apud Dionysium, quem Periegeten vocamus, in vs. 32 et in scholiis ad h. v. invenies. In his quidem mihi videor priscam vim ac sententiam eius nominis cognoscere quod ibi mari Ionio inditum est. Nam mare Cronium erat sine dubio illud ignotum ac inexploratum quod homines adire non solebant. Quae appellatio quomodo ad mare Adriaticum pertinere possit, magis apparebit, si speciem orbis terrarum quam Homeri aetate homines sibi fingebant animo cogitaveris. Nam de terra continenti, cuius Graecia et Italia et Iberia partes essent, nulla omnino fama circumferebatur. Erant hae quasi insulae quas maria ingentia circumfluerent [3]). Atque Herodoto teste I 163 Phocaei primi Adriam exploraverunt. Unde percipis priscis temporibus has regiones inexploratas esse ac diu intentatas. Ad hanc pristinam aetatem, qua intimus Adriae sinus remotissimus erat et quasi tenebris involutus, haud dubie referenda est haec appellatio quae gradatim propter auc-

1) *Prom. Vinct.* 837.

2) *N. H.* IV, 104. cf. etiam IV, 84 seq.

3) Vide Bergeri disputationem in libro *Geschichte der wiss. Erdkunde der Griechen*, pp. 22 seqq.

tam orbis terrarum cognitionem in mare ultra Thulen removebatur.

Iam ad illam Argi vaticinationem aggrediamur. Eo quidem non offendimus quod poeta epicus Argum viam exponentem introduxit. Habebat enim ante oculos exemplum Homeri praeclarum qui iter Ulixis ad inferos factum ita narrat ut prius Circe omnia quae sint facienda describat. Hic autem de singulis eius itineris quod Argus profert partibus diligentius inquirendum est: multa enim quae arto nexu vincta non sunt in unum poeta comprehendit.

Ac primum quidem animadvertimus haec verba Argo, Phrixi et Chalciopes filio, attribui, qui inde a puero apud Colchos educatus, quam scientiam e tabulis quibusdam illic servatis desumpserit, nunc Argonautis enuntiat. Quamobrem sic de Graecis et Graecia loquitur ut in vs. 257 ὔμμι, 292—293 ὑμετέρῃ, ὑμετέρης. Primum asseverat aliam esse navigationem, quam sacerdotes Thebarum Aegyptiarum monstrassent. Tum rem ipsam non statim explicat sed permultis verbis antiquitatem Aegypti extollit. Deinde declarat quomodo factum sit ut sapientia sacerdotum inter Colchos pervulgaretur: regem enim Aegyptiorum [1]) fuisse qui exercitu magno totam Europam Asiamque emensus sit multasque urbes condiderit: quarum in numero Aeam esse: filios illorum priscorum (i. e. Colchos) tabellas scriptas servasse in quibus omnes vias terrae marisque inessent, in quas rex ille pervenisset. Iam demum Argus, his omnibus praemissis, rem ipsam explanat. Nam illud ἔστι δέ τις ποταμός (vs. 282) ad ἔστιν γὰρ πλόος ἄλλος (vs. 259) redit. Tum pergit Argus in fluvio describendo: primum eum esse cornu Oceani, et latum et profundum; nomen eius Histrum, fontes ultra Boreae flatum in montibus Rhipaeis esse: aliquamdiu uno alveo profluentem terram immensam secare, quando autem ad

1) Herodotus primus (II 102) haec narravit. Quae Eustathius ad Dion. Per. I p. 80 de tabellis profert, ad Apollonium referenda sunt. Praeter haec nulla harum tabularum memoria exstat neque dubium esse videtur quin ipse Apollonius e sua potius quam ex heroic a consuetudine ea commentus sit.

fines Thracum Scytharumque appropinquarit in duas partes dividi. Sed priusquam ad difficiliora accedamus, in his paulisper insistamus.

Qua quidem de causa poeta haec de Aegyptis et Colchis congesserit, nisi sic de Colchorum origine nos certiores facere studeret (qua de re adhuc tacuerat), haud perspicio. Tum vides colore quam prisco ac vetusto totam orationem affecerit. Nam mentio montium Rhipaeorum, qui ultra Boream siti sint, ad opinionem locorum spectat quae vel Herodoti aetate sublata erat. Deinde quod Hister cornu Oceani vocatur, satis mirum est. Primo enim obtutu cogites poetam indicare flumen ex Oceano derivatum esse. Nam κέρας saepius de fluvio vel fluvii ostio dicitur. Vide quaeso Pindari frag. 201, Thuc. I 110. Fieri igitur potest ut scriptor aliquis, sicut nonnulli Nilum [1]) et Phasim, etiam Histrum Oceani cornu esse opinatus sit, per quod iter fecissent Argonautae. Sive enim per Histrum sive per Tanaim sive per Phasim via petitur, una eademque est ratio geographica. Nam apud veteres opinio fluvios ingentes cum Oceano iunctos esse omnino non ignota erat. Sed cum in sequentibus fontes Histri in montibus positos esse invenias, patet poetam opinionem istam de Histro non amplius respexisse sed satis habuisse ornamenti causa vestigia memoriae fere oblivioni datae servare.

Iam ad difficiliora nos accingamus, nam versus 289—293 dudum crux interpretum sunt. Haeremus enim in hac perobscura imperfectaque descriptione. Nam nulla mentione brachii Pontum petentis facta primum de mari Ionio, tum de aliquo Trinacrii maris sinu audimus. Quare Gerhardus [2]) suasit, ut pro Ἰονίην (289) ἠφῆν scribatur, ad ipsum Apollonium provocans, qui II 745 sic:

ὥστε διὲξ ἄκρης ἀνερεύγεται, εἰς ἅλα βάλλων | ἠφῆν

Quam coniecturam etiam Waltherus [3]) nuper probavit. Sed ne hoc quidem concesserim, quod vir doctus ille ex

1) cf. Herod. II 73: Diod. Sic. I 37.

2) In *Lect. Apoll.* pp. 80—81.

3) *De Apollonii Rhodii Argonaut. rebus geographicis*: pp. 61, 83 seqq.

isto versu certa ratione collegisse sibi visus est. Sic enim versus intellegendus est ut vox ἠφὴν praedicativa sit. Inter se differunt *mare orientale* et *mare ad orientem spectans*. Accedit quod scholiasta[1]) sic sensum verborum exprimit: φησὶν ὅτι .... καὶ ὅτι .... φέρεται διά τινος φάραγγος εἰς τὴν πρὸς ἀνατολὰς θάλασσαν. Itaque scholiasta regionem caeli potius quam nomen maris proprium intellexit. Idem loquendi genus Herodotus usurpavit (IV 100), ubi de Scytharum sedibus disseruit, καὶ τὰ πρὸς θαλάσσης τῆς ἠοίης νέμονται. Quae verba ad totum mare Ponticum (sicut nonnulli commentatores autumant) pertinere non possunt. Nam Herodotus inde ab Histri ostio incipiens (capp. 99—100) oram maris usque ad Tanaim depingit. Primum de parte inter Histrum et Carcinitin, tum de paeninsula cuius partem infimam Tauri incolunt, deinde de locis supra Tauros sitis usque ad Bosporum Cimmerium, denique de regionibus ab occidente Bospori paludisque Maeoticae usque ad Tanaim disserit. Ergo illud τὰ πρὸς θαλάσσης τῆς ἠοίης de exigua Ponti parte ad orientem spectante dicitur, neque de nomine Ponti proprio hic agitur[2]). Mittamus igitur illam Gerhardi coniecturam.

Iam aliam viam alii monstrant, qui dicant Ionium mare partem occidentalem Ponti Euxini nuncupatum esse[3]). Quae via difficultatibus non caret, ea potissimum causa quod ceteroquin apud Apollonium sicut apud ceteros Ἰονίη ἅλς vel Ἰόνιος κόλπος de mari inter Italiam et Graeciam intellegitur. Duo alii loci sunt, IV 308. 632. De hoc (IV 632), qui in dubium vocari non potest, primum agamus. Poeta dicit Eridanum fluvium in mare Ionium effluere, ubi

---

1) ad II 743.

2) A re non alienum erit etiam alios Herodoti locos conferre, IV 13 et 37. VI 31, ubi ἡ θάλασσα ἡ βορηίη modo mare Ponticum, modo partes maris Aegaei, ἡ νοτίη θάλασσα autem modo mare Indicum, tum partes Aegei, denique etiam mare Ponticum significant. Quae sit ratio grammatica, facile perspicies.

3) Scil. Merkelius ad Ap. Rh. II 745. Wilamowitzius *Herakles*² I p. 7.

plane ea Adriae pars indicatur quae sub eadem caeli regione atque insulae Apsyrtides iacet. (cf. Scyl. Car. Peripl. 19, 20). De altero loco qui est IV 308 iam supra egi. Accedit quod Merkelius testimonium Ammiani Marcellini XXII 8, 13 affert: *Extremitates autem arcus utrimque tenues duo exprimunt Bospori e regione sibi oppositi Thracius et Cimmerius: hac causa Bospori vocitati quod per eos quondam Inachi filia mutata, ut poetae locuntur, in bovem ad mare Ionium permeavit.* Rem tamen haec verba omnino non tangunt. Sane si Ammianus ad Bosporum Thracium respiciens sic scripsisset *hac causa Bosporus vocitatus quod per eum quondam Inachi filia ad mare Ionium permeavit*, testimonium eius reiicere non liceret. Revera autem de mari quodam cogitat ad quod Io pervenerit Bosporo utroque iam traiecto. Ergo mare Ionium voluit ille non inter duos Bosporos, sed ultra utrumque iacere. Nihil igitur de rebus geographicis ex his colligi potest. Quid autem ille voluerit statim apparebit, si fabulam de Io in memoriam revocaveris. Non solum illud vocabulum *Bosporus* sed etiam agnomen maris Adriatici Ἰόνιον per veriloquium ad Io eiusque errores referebatur [1]). Sic accidit ut Ammianus has regiones, nulla ratione veri situs locorum habita, continua narratione coniungeret.

Denique paucis tangam scholium in Verg. bucol. VI 43: *Hylas puer, Thiodamantis filius, ob speciem Herculi fuit carissimus, quem secutus navigantem cum Argonantis, in finibus Ionii iuxta Moesiam apud fontem Calci amnis cum aquatum isset, a nymphis raptus est.* Primo obtutu eam regionem, ubi Hylas raptus est, quae haud procul a Ponto Euxino est prope Ionium (i. e. mare Ionium) sitam esse dici concludas. At verba *in finibus Ionii* sic expleri ut *in finibus Ionii maris* intellegatur vetat testimonium Servii ibidem, qui haec habet: *quem perdidit in finibus Ioniis iuxta Mysiam.* Quam memoriam meliorem esse etiam illud *Mysiam* pro *Moesiam*

1) cf. Schol. Ap. Rh. IV 308. Aesch. Prom. 840 et scholia. Schol. in Eurip. Hipp. 733.

declarat. Cum igitur vera lectio *in finibus Ioniis iuxta Mysiam* sit, adiectivum non a mari ad septemtrionales versus iacente, sed potius ab ea regione Asiae Minoris quae est Ionia ducendum est. Atque scholiasta, quod ad res geographicas attinet, omnino confuse loquitur. Nam verba *Calci amnis* (sic Leid.) vel *Caici* (sic Vossius) ad bene notam de Hyla fabulam non quadrant.

Quae cum ita sint, vox Ἰονίην (IV 289) si revera de Ponto Euxino dicitur est ἅπαξ λεγόμενον. Sed etiam alia ratio rei temptandae exstat. Ex scholiis enim apparet vel apud veteres interpretationes diversas circumlatas esse. Et primum una via explanandi sub finem scholii in IV 284 invenitur: ὁ δὲ Ἴστρος καταφερόμενος ἐξ Ὑπερβορέων, ὅταν φθάσῃ ἐπὶ τὸν μεταξὺ Σκυθίας καὶ Θρᾴκης τόπον, σχίζεται εἰς δύο, καὶ τὸ μὲν αὐτοῦ εἰς τὸν Εὔξεινον πόντον βάλλει, τὸ δὲ ἕτερον εἰς τὴν Τυρρηνικὴν θάλασσαν: tum haec, τὸ Τυρρηνικὸν πέλαγος παράκειται τῇ Σικελίᾳ.

Explicationem ab hac plane distantem initio eiusdem scholii invenies: τὸν Ἴστρον φησὶν ἐκ τῶν Ὑπερβορέων καταφέρεσθαι καὶ τῶν Ῥιπαίων ὀρῶν· γενόμενον δὲ μεταξὺ τῶν Σκυθῶν καὶ Θρᾳκῶν σχίζεσθαι, καὶ τὸ μὲν εἰς τὴν καθ' ἡμᾶς θάλασσαν ἐκβάλλειν ῥεῖθρον, τὸ δὲ εἰς τὴν Ποντικὴν θάλασσαν ἐκπίπτειν, τὸ δὲ εἰς τὸν Ἀδριατικὸν κόλπον[1]). Fere eadem interpretatio in scholiis Flor. et Paris. ad vs. 291 adscripta est: βουλόμενος δὲ ὁ Ἀπολλώνιος καινότερόν τι περὶ τοῦ Ἴστρου εἰπεῖν, τὸ εἰς τὸν Ἀδρίαν καταφερόμενον ῥεῦμα αὐτοῦ ὑποδιαιρεῖ αὖθις εἰς δύο, καὶ τὸ μὲν εἰς τὸν Ἀδρίαν φέρεσθαι, τὸ δὲ εἰς Τυρρηνικὸν πέλαγος λέγει· ὅπερ καταχρώμενος Τρινάκριον εἶπε.

Vides quo nisus sit interpres. Nam illud σχιζόμενος, quod cum ἔνθα διχῇ aliquo pacto coniunctum esse exspectares, alteri enuntiationis membro insertum est. Hanc quidem explicationem etiam novelli aliquot defendere stu-

---

1) Omisi illud Aeschyleum quod in continua oratione quasi intercalatum est.

duerunt [1]), sed frustra. Nam si haec vis ac sententia in oratione contineretur, scriptum esset ὄπισθε δέ. Revera autem τὸ δὲ illi τὸ μὲν respondens positum est. In talibus igitur non subsistamus. Gaudeo quidem quod insigni benignitate praeceptoris mei Wilamowitzii usus hanc rei medelam afferre possum:

μεθ' ἡμετέρην ἅλα βάλλει
τῇδ' ὕδωρ.

Animadvertes quam apte vox ἡμετέρην in Argi personam collata sit, qui quidem pronomen ὑμέτερος bis ad Graecos apposuit. Cum igitur per totam orationem ille partes Colchorum egerit, appositum *mare nostrum* in eius ore facillime pro Ponto Euxino accipi potest. Tum scholium ad IV 284 quomodo exstiterit facilius intellegitur, cuius forma pristina haec fuit: καὶ τὸ μὲν εἰς τὴν καθ' ἡμᾶς θάλασσαν ἐκβάλλειν ῥεῖθρον, τὸ δὲ εἰς τὸν Ἀδριατικὸν κόλπον. Quae explicatio cum non amplius sensum praebere videretur, illud alterum τὸ δὲ εἰς τὴν Ποντικὴν θάλασσαν ἐκπίπτειν additum est.

II.

DE TIMAGETO ET CALLIMACHO.

Eis quae Apollonius ipse narravit ita pertractatis opportunum est accuratius inquirere quo consilio quibusque fontibus usus rem sic instituerit. Ac primum quidem redeamus ad illam opinionem supra prolatam, quae versibus 552—556 suscitata est. Conclusi enim, cum poeta ipse nobis ostenderit aliquid novi incipere, hanc narrationis partem quae est de via ex Ponto usque ad Adriam per se tractandam, neque scriptorem quemquam requirendum esse qui illam de Eridano fabulam cum hac de Histro iam coniunxerit.

---

1) Zsishmannus, *Die Isterfahrt im griechischen Sagenkreise.* Tergeste 1852. Ukertus, *Geographie der Griechen und Römer* II 2, 45.

Inquiramus igitur cuius auctoritatem amplexus sit Apollonius cum Argonautas per Histrum redeuntes faceret. Ac primum ad scholium in IV 284 nos conferamus: οὐδεὶς δὲ ἱστορεῖ διὰ τούτου τοὺς Ἀργοναύτας εἰσπεπλευκέναι εἰς τὴν ἡμετέραν θάλασσαν ἔξω Τιμαγήτου ᾧ ἠκολούθησεν Ἀπολλώνιος. Tum in scholio ad IV 259 ratio reditus secundum Timagetum sic exponitur: Τιμάγητος δὲ ἐν ᾱ περὶ λιμένων τὸν μὲν Ἴστρον[1]) καταφέρεσθαι ἐκ τῶν Κελτικῶν ὀρῶν, ἅ ἐστι τῆς Κελτικῆς, εἶτα ἐκδιδόναι εἰς Κέλτον λίμνην, μετὰ δὲ ταῦτα εἰς δύο σχίζεσθαι τὸ ὕδωρ, καὶ τὸ μὲν εἰς τὸν Εὔξεινον πόντον εἰσβάλλειν, τὸ δὲ εἰς τὴν Κελτικὴν θάλασσαν, διὰ δὲ τούτου τοῦ στόματος πλεῦσαι τοὺς Ἀργοναύτας καὶ ἐλθεῖν εἰς Τυρρηνίαν· κατακολουθεῖ δὲ αὐτῷ καὶ Ἀπολλώνιος. Quod ad Timageti sententiam attinet, si una verba tradita audimus, docet scholiasta Histrum secundum Timagetum a lacu Celtico (nimirum prope fontes) se dividentem in Pontum Euxinum et in mare Celticum defluere. Quid sit mare Celticum, monstrant verba καὶ ἐλθεῖν εἰς Τυρρηνίαν. Hoc igitur mare nihil est nisi sinus maris interni prope Massiliam, quem sinum etiam Appianus [2]) Κελτικὴν θάλασσαν appellat, plurimi autem κόλπον Γαλατικόν vel Latine sinum Gallicum. Nomen Celtorum ab incolis huius regionis ortum et dehinc universis Gallis inditum esse tradidit Strabo III 189. cf. etiam Plin. N. H. III 74. Dionys. Perieg. 74 et scholia.

Huic interpretationi verborum obstare videtur illa comparatio sub finem explicationis adiecta κατακολουθεῖ δὲ αὐτῷ καὶ Ἀπολλώνιος. Si enim Timagetus Iasonem Histro relicto in mare Tyrrhenum, Apollonius autem in Adriam descendisse tradidit, qui tandem dici potest Timagetum Apollonii ducem fuisse? Quam difficultatem Muellenhoffius [3]) respiciens alteram viam ingressus est, cum nomina Κέλτον Κελτικήν pro corruptelis damnaret. Credo tamen hoc cum illo non ita pugnare ut alterum utrum abiciendum sit. Primum enim observes quaeso in scholio ad IV 284 nihil

---

1) sic Flor.: Φᾶσιν Laur.
2) Mithr. 95.
3) *Deutsche Altertumskunde* I 431.

de his auctoribus dici nisi quod apud utrumque Argonautae per Histrum in mare internum pervenerint. De Adria omnino non agitur. Usu loquendi per duas adnotationes collato statim apparet τὴν ἡμετέραν θάλασσαν universum mare internum significare. In opinione Scymni exprimenda haec invenis: . . . ἐκεῖθεν δὲ εἰς τὴν ἡμετέραν θάλασσαν ἐληλυθέναι, tum de Hecataeo schol. IV 259 εἶτα ἐκεῖθεν εἰς τὸν Νεῖλον, ὅθεν εἰς τὴν ἡμετέραν θάλασσαν; denique sub finem scholii haec: καὶ βαστάσαντες τὴν Ἀργὼ εἰς τὸ ἡμέτερον πέλαγος γενέσθαι. Vides igitur quomodo interpres loquatur. Diversas vias inter Pontum Euxinum et mare internum tractat, ita quidem ut viam per Propontidem, tum per Phasim Oceanum Nilum vel trans Libyam, deinde per Tanaim Oceanum septemtrionalem, denique per Histrum respiciat. Quoniam et Timagetus et Apollonius reditum in Histrum collocant, non iniuria dicit scholiographus illum huic in fabula narranda praeivisse. Consentiunt enim in eo quod per Histrum, non per Phasim vel Propontidem vel Tanaim reditus in mare internum fit.

Qui Timagetus fuerit quandoque vixerit, diserte traditum non est. Nemo praeter scholia Apolloniana de hoc scriptore certiores nos fecit [1]). Apparet autem ex his inter se comparatis Timagetum libros certe duos de Portubus scripsisse, in quibus de fontibus cursuque Histri egit atque de lacu Celtico qui aquam et in Pontum Euxinum et in sinum Ligusticum emitteret. Famam aliquam de lacubus Brigantino et Lemanno per quos flumen magnum cursum teneret, Timagetus sic accepisse videtur quasi ex eodem lacu et Hister et Rhodanus fluerent [2]). Tum de

1) Schol. ad II 1031. IV 259, 284, 306, 324.

2) Th. Bergkius (*Philol.* 30, 679. *Opusc. Philol.* II 754) contendit Timagetum, teste schol. ad IV 259, Rhenum et lacum Brigantinum commemorasse. Ipsa verba describam: *Der keltische See ist natürlich der Bodensee; nachher teilt sich der Strom, der eine Arm fliesst ins keltische Meer (d. h. der Rhein), der andere (d. h. der Ister) in das schwarze Meer.* At illud alterum flumen quod a lacu Celtico manat pro Rheno accipi non potest. Qui enim haec explices? διὰ δὲ τούτου τοῦ στόματος πλεῦσαι τοὺς Ἀργοναύτας καὶ ἐλθεῖν εἰς Τυρρηνίαν. Neque lacum Briganti-

monte Anguro prope Histrum sito, de Histri ostio Pontico, de Martis insula quae haud procul a Colchide sita est, deque avibus illic repertis narravit Timagetus. Comperimus igitur ex his paucis Timagetum fuisse scriptorem rerum geographicarum, haud dubie pedestri sermone usum, et fabulam Argonauticam dedita opera tractasse.

Nomen Timagetus nusquam alibi in monumentis litterarum invenitur nisi apud Theocritum in carmine cuius est titulus Pharmaceutriae, vss. 8, 97. Non solum ab hac parte nomen esse Dorica stirpe cognoscas, sed maxime ope exemplorum quae Fickius et Bechtelius (*Die Griechischen Personennamen* pag. 42) congesserunt. Nam — ἀγητος et Ἀγεστο — in nominibus propriis componendis saepius apud Dorienses reperiuntur.

Quibus temporibus Timagetus scripserit fere definiri potest. Primum enim Apollonio superior fuit, sed haud magno intervallo. Mirum enim est quod famam lacuum Helveticorum acceperat, quos Aristotelis temporibus nondum notos fuisse, descriptio cursus Histri (Meteorol. I 13) indicare videtur. Timagetus igitur qui harum regionum cognitione Aristotelem superavit, ab Apollonio victus est, temporibus mediis vixisse videtur.

Scholiasta teste Apollonius cum egressum ex Ponto Euxino per Histrum factum esse statueret auctoritatem Timageti amplexus est. Quem vero secutus poeta exitum in Adriam per alterum Histri bracchium finxerit, non comperimus. Etiamsi nullum nomen traditum est, tamen quam facile vel Apollonius vel alius quispiam rem ita novare potuerit, mox apparebit[1]).

Iam scholiis quibus potissimum nituntur hae conclusiones fidem denegat O. Schneiderus[2]). Nam contendit ille vir doctus etiam apud Callimachum Argonautas per

num Timageto ita notum fuisse ut vult Bergkius dicas. Iste enim lacus Celticus et Brigantinum et Lemannum comprehendit, qui propter ignorantiam locorum pro uno eodemque habebantur.

1) cf. pagg. 46 seqq.)

2) *Callimachea* II 81.

Histrum Adriam petivisse; docere etiam locos a Beckmanno ad Aristot. de mir. ausc. collectos scholiastam valde errasse in iis quae de Timageto protulerit. In hac quidem opinione de ratione quae inter Callimachum et Apollonium intercedit nonnulli Schneiderum secuti sunt [1]. Atque Iessenius [2] qui maximam partem se ab hac opinione liberavit, tamen nondum omnia meo iudicio recte statuit.

Mihi quidem persuasissimum est totam Schneideri sententiam fundamento carere. Quare cum apud eos qui his de rebus egerunt auctoritas huius viri docti multum valuerit et nunc valeat, opportunum est totam rem denuo perscrutari. Qua in re minime convenit sic procedere ut singula argumenta aut Schneideri aut eorum qui ei assensi sunt tractem. Immo quaestio multo facilior est. Nam de carminibus Callimacheis interpretandis hic non agitur, propterea quod ipsa carmina interierunt. Fragmenta tantum et pauca et brevia habemus, unde conclusiones efficiendae sunt.

Ac primum quidem ordiamur a scholiis in Euripidis Medeam 1334; est apud Schneiderum Frag. 411. Ad haec verba Euripidea

κτανοῦσα γὰρ δὴ σὸν κάσιν παρέστιον

adscripsit scholiasta: κατὰ τὸν βωμὸν ἀνεῖλε τὸν Ἄψυρτον, ἢ ἐπὶ τῷ βωμῷ τῆς Ἀρτέμιδος ὡς καὶ Ἀπολλώνιός φησιν, ἢ ἐπ' οἴκου [3] ἐν τῇ πατρίδι ὡς Καλλίμαχος.

Itaque Callimachus fratrem Medeae in Colchide interfectum esse tradidit. Quae est fabula inter auctores priores pervulgata [4]. Haec igitur verba ἢ ἐπ' οἴκου ἐν πατρίδι, ὡς Καλλίμαχος cum testimoniis Pherecydis, Sophoclis, Eu-

---

1) Geffckenius, *Timaios' Geographie des Westens,* pag. 93. Seeliger, *Roscheri Myth. Lex.* 537. Groegerus, *De Argon. Fab. Historia* pag. 45. Kennerknecht, *Zur Argonautensage,* pp. 54—55.

2) cf. Pauly et Wissowa, *Real-Enc.* II 769, 11.

3) Sic Schwartzius: libri ἔποικον.

4) Sic Sophocles ap. Schol. Ap. Rh. IV 228: Eurip. Medea 1334. Pherecyd. in Schol. Ap. Rh. IV 223, 228.

ripidis collata, sine ulla dubitatione Callimachum fabulae formam vetustiorem retinuisse docent. Si contra in mentem revocamus quam diversas res Apollonius de Apsyrto protulerit, statim apparet hac quidem in re nihil omnino commune esse inter hos duos auctores. Hic enim Apsyrtus adulescens alacer ad pugnandum primum locum in Argonautis persequendis obtinet et itinere per Histrum facto, in insula Adriae interficitur. Illic autem nihil huius generis fuisse potest. Nam scholiasta diserte testatur Apsyrtum domi occisum esse.

Alterum fragmentum scholia Apolloniana in IV 284 praebent: est apud Schneiderum 377. Traditum est in Laurentiano, ὡς Σοφοκλῆς ἐν Σκύθαις ἱστορεῖ καὶ Καλλίμαχος αὐτῶν τοὺς μὲν εἰς τὸν Ἀδρίαν κτε. Editio princeps haec habet, ὡς Σοφοκλῆς ἐν Σκύθαις ἱστορεῖ καὶ Καλλίμαχος ὅθεν καὶ τῶν Σκυθῶν τοὺς μὲν εἰς τὸν Ἀδρίαν κτε. In Parisinis scholium tam inscite contractum est ut nihil inde effici possit. Quaestionem primam quae in verbis recensendis versatur, nondum attingam, praesertim cum res alia ratione diiudicari possit. Nam potissimum de verbis distinguendis agitur. Editores enim qui Keilium antecedebant enuntiationem post Καλλίμαχος desinere censebant. Unde efficiebatur ut apud Callimachum sicut apud Sophoclem cum aditus in Pontum tum reditus in Thessaliam per Hellespontum fierent. Keilius autem post ἱστορεῖ pedem sistens, novam sententiam a verbis καὶ Καλλίμαχος incipere statuit, quae sententia statim per lacunam interpellatur. Quamquam Keilius suas rationes nusquam quantum scio exposuit, licet tamen concludere eum, verbis quae secuntur huc relatis, totam orationem usque ad κἀκεῖνοι τότε ἦσαν Callimacho tribuere velle. Quae conclusio reapse a Schneidero et facta et defensa est.

Ego quidem vix credo quemquam talibus argumentis fidem tribuere posse. Cum vero haec Callimachea ordine tractem, etiam hoc praetermittere non licet. Itaque contendo scripturam editorum illorum restituendam esse qui

verba sic distinxerunt: — ὡς Σοφοκλῆς ἐν Σκύθαις ἱστορεῖ καὶ Καλλίμαχος.

Primum enim in verbis ita distinguendis viam monstrat ratio grammatica. Nam per totam paragraphum scholiasta diversas scriptorum opiniones de iisdem rebus affert: sic autem procedit ut novam sententiam introducens particulam δέ addat. Neque usus loquendi sententiam novam quae priori opponatur per coniunctionem καί adnecti tolerat. Concludendum igitur est utrumque cum καὶ Καλλίμαχος tum Σοφοκλῆς ad ἱστορεῖ pertinere. Accedit etiam argumentum quod ex tota scholiorum paragrapho peti potest. Ex duabus enim partibus constant ea quae ad vs. 284 adscribuntur. Prima enim sententia nihil est nisi paraphrasis carminis ipsius illa comparatione inter Aeschylum et Apollonium interiecta. Tum pergit scholiasta in versibus exponendis usque ad verba Σκύμνος δὲ κτε. Haec excipiunt opiniones multae multorum scriptorum de via qua redierint Argonautae. Nemo quidem dubitet quin ultima sententia ὁ δὲ Ἴστρος καταφερόμενος paraphrasis sit. Atque etiam verba quae καὶ Καλλίμαχος secuntur meo iudicio sic accipienda sunt. Schneidero enim his in verbis genuinum fragmentum Callimacheum latere opinato indicia omnia obstant. Primum enim verba in universum cum Apollonio consentiunt. Praecipue autem paragraphus Apollodori Bibliothecae I 137 (Wagn.) momentum facit. Optime consentiunt haec duo in his potissimum verbis: sch. Ap. Rh. τοὺς μὲν εἰς τὸν Ἀδρίαν πεπλευκότας μὴ εὑρεῖν τοὺς Ἀργοναύτας: et Ap. Bibl. τῶν δὲ Κόλχων τὴν ναῦν εὑρεῖν μὴ δυναμένων κτε. Tantum ergo abest ut nobile Callimachi fragmentum nobis offerri statuamus, ut grammatici cuiusdam doctrinam haec verba olere pateat. Non licet igitur Schneidero assentiri dicenti Argonautas apud Callimachum per Histrum fluvium Adriam petivisse.

Tertio loco de scholio Apolloniano in vs. IV 303, quod est apud Schneiderum Frag. 563, disserendum est. Adnotatio scholiastae quamquam brevis est, tamen non statim intellegitur. Quare mirum mihi videtur quod viri docti

qui his fragmentis Callimacheis operam dederunt, difficultatem ne leviter quidem tetigerunt [1]). Sed ad rem ipsam procedamus.

Et primum patet verba τῶν Κόλχων οἱ μὲν διὰ τῶν Κυανέων πέτρων ἔπλευσαν nihil esse nisi explicationem versuum 303—304. Itidem ultima scholii verba ἄλλοι δὲ μετὰ Ἀψύρτου Ἴστρον εἶχον (Laur.) vel οἱ δὲ εἰς τὸν Ἴστρον μετὰ Ἀψύρτου ἦλθον (Flor.) versus 305—306 exprimunt. Nam ea potissimum quae de Apsyrto dicta sunt ut narrationi Apollonianae accurate respondent, ita Callimacheis supra tractatis repugnant. Sed aliam partem addidit scholiasta ὡς καὶ Καλλίμαχος· φησὶ δὲ Ἀπολλώνιος ὑποστρέψαι αὐτοὺς ἐναντίως Καλλιμάχῳ, quae est comparatio inter hos duos auctores instituta [2]). Iam in his quae sunt de Colchis Argonautas extra Pontum persequentibus, Callimachum aliquatenus Apollonii ducem fuisse, versus illi Callimachei apud Strabonem I 46 docent. Quare mirum non est scholiastam hos duos poetas comparasse. Nunc autem accuratius quaerendum est, qualis fuerit narratio Callimachi ac praecipue quidem utrum Colchos in duas manus discessisse [3]) tradiderit necne.

Ac primum quidem verba ὡς καὶ Καλλίμαχος ambigua esse existimo. Duo enim intellegi possunt, aut „Colchorum alii per Cyaneas iter fecerunt sicut Callimachus partem unam Colchorum hanc viam ingressam esse dicit", aut „Colchorum alii per Cyaneas iter fecerunt, quam viam, etiam Callimacho teste, Colchi ingressi sunt". Itaque scholiasta comparationem instituit quae aut ad Colchos se in duas manus dividentes aut ad viam tantum a Colchis omnibus initam pertinere potest. Si autem supra de scholiorum natura recte disputavi, efficitur ut τῶν Κόλχων οἱ μὲν κτε.

---

1) Schneiderus. Heckerus, *Com. Callim.* pag. 44.

2) Simili ratione infra (ad IV 306) inter haec genera distinguendum est: τρία στόματα ἔχει ὁ Ἴστρος ὧν ἓν λέγεται καλὸν στόμα (ὥς φησι Τιμάγητος ἐν τῷ περὶ λιμένων) εἰς ὅ φησι πλεῦσαι τὸν Ἄψυρτον. Hoc unum de pulchro ostio Timagetus habuit, reliqua sunt Apolloniana.

3) Sic Iessenius II 769.

arte cum ἄλλοι δὲ (οἱ δε Flor.) μετὰ Ἀψύρτου cohaereat. Tota igitur paragraphus sic describi potest: τῶν Κόλχων οἱ μὲν διὰ τῶν Κυανέων πετρῶν ἔπλευσαν (ὡς καὶ Καλλίμαχος· φησὶ δὲ Ἀπολλώνιος ὑποστρέψαι αὐτοὺς ἐναντίως Καλλιμάχῳ) ἄλλοι δὲ κτε. Itaque nihil est cur credamus comparationem quae in verbis ὡς καὶ Καλλιμάχος continetur, potissimum ad οἱ μὲν respicere [1]). Una in parte consentiunt Callimachus et Apollonius quod apud utrumque per Cyaneas Colchi iter faciunt.

Sed pergit scholiasta una in re illos dissentire exponens: φησὶ δὲ Ἀπολλώνιος ὑποστρέψαι αὐτοὺς ἐναντίως Καλλιμάχῳ. Quae sententia sicut tradita est, non facile intellegitur. Primo aspectu sic interpretamur ut ἐναντίως ad φησί referatur: *Apollonius autem aliter ac Callimachus dicit eos rediisse* [2]). Quod minime verum esset. Nam Apollonius dicit Colchos omnino non rediise sed in oris Adriae sedes collocasse [3]). Neque particulam οὐ supplendam esse coniicere liceret (φησὶ δὲ Ἀπολλώνιος οὐχ ὑποστρέψαι), quoniam Callimachus quoque, Strabone I 46 teste, Colchos propter metum Aeetae domum non repetisse dixit. Ergo si quaeris qua in re Apollonius et Callimachus dissentiant, de Colchis domum redeuntibus omnino non agi concedendum est.

Restat ut rem aliunde aggrediamur. Cum enim Apollonius aliam rationem rerum depingendarum atque Callimachus ingressus sit, facilis est coniectura discrepantiam eam esse quod Colchi se in duas manus diviserint. Scimus enim ex iis quae de scholio in IV 284 disputata sunt, Argonautas apud Callimachum per Cyaneas iter fe-

---

1) Nihil aliud intellegi posse Iessenius putat. Ego autem demonstrare studeo illud alterum non solum fieri posse, sed veri etiam simile esse.

2) Verbum ὑποστρέφω *redire* significans saepius his in scholiis invenitur: vide ad II 854, 904. III 260. IV 228. Rem igitur ab hac parte non temptavi.

3) IV 507 seqq. 1206 seqq.

cisse. Quae cum ita sint, minime verisimile est Callimachum eadem atque Apollonium de itinere Colchorum per Histrum facto protulisse. In iis quidem quae de Apsyrto et Argonautarum reditu sunt, diserte traditum est eum cum Sophocle consensisse, id est cum vetustiore huius fabulae memoria. Cur igitur credamus Callimachum sine causa hanc de Colchis per Histrum navigantibus narratiunculam intulisse? Ut tale quid concludamus, scholium in IV 303 nos nequaquam cogere paulo ante demonstrare studui. Quamobrem aptum esset, si pro ὑποστρέψαι vocem quampiam poneremus quae significet *se in duas partes dividere*[1]). Sed quamquam mihi videor sensum bonum inferre posse, tamen verba emendare nequeo.

Itaque alia via[2]) rem absolvere temptabo. Si enim αὐτούς non de Colchis sed de Argonautis intellegitur, tum sententia omni parte cum scholio in IV 284 concinit; „Apollonius redisse Argonautas aliter dicit ac Callimachus", id est per Histrum, non per Hellespontum. Fieri potest ut nonnulla interciderint unde perpetuitatem orationis tali modo turbatam explices. Atque proxime antecedit schol. 301: διαφωνοῦσι δὲ οἱ περὶ τοῦ ἔκπλου τῶν Ἀργοναύτων τοῦ ἐκ Κόλχων γεγραφότες, cum quo aptissime sententia hic importuna, φησὶ δὲ Ἀπολλώνιος ὑποστρέψαι αὐτοὺς ἐναντίως Καλλιμάχῳ, coniungi posse apparet. Sed haec hactenus. Satis habeo si propter hanc disputationem verba scholiastae τῶν Κόλχων οἱ μὲν διὰ τῶν Κυανέων κτε. ad duas Colchorum manus non pertinere, mihi concedes.

Nunc ad fragmenta quorum sedes apud Strabonem est procedamus. Per totum locum de expeditione Argonautarum in Phasin suscepta deque reditu agitur. Contendit Strabo et expeditionem Iasonis et errores eius prorsus non repudiandos esse tamquam fabulas a poetis confictas; immo etiamsi res aliquatenus a poetis exornatae sint, tamen in

1) Quae sententia vix per unum vocabulum exprimi posset. Cf. Schol. Laur. IV 291 ὑποδιαιρεῖ εἰς δύο.

2) Quam viam Wilamowitzius mihi benevolenter monstravit.

universum verum fundamentum rerum gestarum suppeditare, sicut testimoniis poetarum de Menelai et Ulixis erroribus fidem habemus; non solum enim in mari Pontico et Aegaeo, sed etiam remotis locis, cum ad solem orientem tum ad occidentem circa Italiam, monumenta Iasonis et Colchorum cum persequentium inventa esse. Tum pergit Strabo, ὧν ἔνια καὶ ὁ Καλλίμαχος ἐπισημαίνεται, τότε μὲν

Αἰγλήτην Ἀνάφην τε Λακωνίδι γείτονα Θήρῃ [1]), λέγων

Ἄρχμενος ὡς ἥρωες ἀπ' Αἰήταο Κυταίου [2])
αὖτις ἐς ἀρχαίην ἔπλεον Αἱμονίην·

τότε δὲ περὶ τῶν Κόλχων

οἱ μὲν ἐπ' Ἰλλυρικοῖο πόρου σχάσσαντες ἐρετμὰ [3])
λᾶα πάρα ξανθῆς Ἁρμονίης ὄφιος
ἄστυρον ἐκτίσσαντο, τὸ μὲν Φυγάδων τις ἐνίσποι
Γραικός, ἀτὰρ κείνων γλῶσσ' ὀνόμηνε Πόλας.

Iam illum versum de Anaphe Strabo in insulis maris Aegaei enumerandis (X 484), iterum affert. Verba sic vertuntur: *Aegleten et Anaphen quae est Spartanae Therae proxima.* Primum Aegleten esse Apollinis appositum qui ab incolis Anaphes hoc nomine colebatur, cum Apollonius Rhodius [4]), Cono [5]), Apollodori Bibliotheca [6]), tum tituli nonnulli testantur. Iidem scriptores etiam causam nominis Anaphes et cognominis Aegletae, quomodo ad Iasonis reditum pertineant, exponunt. Sed poeta Cyrenaeus sui propria narrasse videtur. Nam cum duo nomina Αἰγλήτην, Ἀνάφην velut paria per τε particulam copulentur, etiam Ἀνάφην quasi personae nomen accipiendam esse suspiceris. Quocum bene congruit haec mentio Spartanae Therae, quae etiam (Frag. 112) mater Cyrenarum appellatur. Tum animadverte quaeso usum loquendi Calli-

1) I 46: apud Schneiderum, Frag. 113a.
2) Ibidem 113b.
3) Ibidem 104.
4) IV 1716 seqq.
5) c. 49.
6) I 139.

macheum in hymno in Delum, ubi Δῆλος modo insula modo dea est [1]. Itaque quoniam poeta Aegleten et Anaphen consociavit et aequiperavit, non dubito quin Anaphe pro dea vel nympha insulae accipienda sit. Iam Strabo nos certiores facit in hoc versu memoriam errorum Argonauticarum latere. Poeta autem historiam indicavit tantum ac perstrinxit, atque geographus quasi ad rem clarius declarandam illud distichum, unde appareret de quibus ageretur, statim addidit. Ergo neque versus ipse neque verborum contextus poetam hanc historiam fabulosam multis verbis ornasse aut per singula persecutum esse patefacit [2].

Nunc alterum fragmentum quod est de Colchis inspiciendum est:

> Τότε δὲ περὶ τῶν Κόλχων
>
> οἱ μὲν ἐπ' Ἰλλυρικοῖο πόρου σχάσσαντες ἐρετμὰ κτε.

Iterum quidem Strabo ad Callimachum provocat (V 216), eisdem versibus allatis, ubi de Polis conditis agitur: κτίσμα δ' ἐστι ἀρχαῖον Κόλχων τῶν ἐπὶ τὴν Μήδειαν ἐκπεμφθέντων διαμαρτόντων δὲ τῆς πράξεως καὶ καταγνόντων ἑαυτῶν φυγήν·

> τὸ μὲν Φυγάδων μὲν ἐνίσποι κτε.

Itaque quas res hi versus illustrent, dubium non est. Vestigia enim Colchorum frustra Argonautas persequentium etiam in intimo Adriae sinu monstrantur.

Iam primo obtutu testimonium Strabonis Schneiderum qui contendit cum Callimachum tum Apollonium unam rationem in reditu enarrando secutos esse, valde adiuvare

---

1) Cf. vs. 4—6.

2) Quare disputatio Knaackii (Callimachea pagg. 1—5), qui narratiunculam Cononis Callimacho attribuit, admodum improbabilis mihi videtur. Nam illa nota e qua Callimachea cognosci poterant scil. mentio Anaphes nymphae, Cononi deest. Quod contra narratum est Anaphen prope Theram iacere, id tali modo premere non licet. Nam mentio apud Cononem, qua maxime Knaackius nititur, ex ipso locorum situ explanari potest. Vides etiam Strabonem (X 484) duas insulas una commemorasse. Nimis confisus est Knaackius silentio monumentorum neque ei concesserim ex Apollodori Bibliotheca argumentum carminis Callimachei tam facile erui posse.

videtur. Nam quomodo tandem fit ut Colchi usque ad Histriam penetrarint nisi viam per Histrum ingressi sunt? Sic ratiocinatur etiam Geffckenius [1]: *Auch Kallimachus ..... wusste von der Isterfahrt, er lässt die Kolcher Polai gründen.* Jessenius ut concedat Argonautas apud Callimachum per Cyaneas rediisse, ita ex scholio Apolloniano in IV 303 concludit alteram Colchorum partem per Histrum iter fecisse. Sed mihi non persuaserunt argumenta doctorum virorum qui Callimachum ullo quidem modo his in rebus mentionem Histri fluminis fecisse statuerunt.

Ac primum quidem isti conclusioni repugnat, ut mihi videtur, ratio grammatica. Dico de verbis τινὲς δὲ καὶ τὸν Ἴστρον ἀναπλεῦσαι quae illos versus statim secuntur. Strabo per totum locum monet, quam late monumenta Argonautarum dispersa sint, etiam in locis a via inter Pontum et Thessaliam remotissimis. Plane apparet virum illum, rerum geographicarum peritum, revera credidisse talia monumenta exstare. Quam ad opinionem confirmandam doctum poetam testem advocat. Ergo opiniones Callimachi de Polis conditis probat iisque vim at auctoritatem tribuit. Testimonio verum Callimachi allato addit τινὲς δὲ καὶ κτε. Quis tandem qui verba ingenue inspicit, non concesserit aliquid novi ita induci? Qui sint τινὲς δὲ, hic diserte non dicitur. Id maxime quaerimus, num Callimachus qui modo laudatus est, simul in numero eorum qui propter ignorantiam locorum reprehendantur, haberi possit. Profecto non potest. Ergo inter eos qui de itinere per Histrum facto fabulas proferebant, Strabone teste, non fuit Callimachus.

Tum operae pretium est etiam Strabonis opinionem considerare. Ille enim Colchos Polas condidisse credidit, neque tamen illam de Histro narratiunculam recipiendam esse putavit [2]. Cur non etiam Callimachus? Rationem

---

1) *Timaios' Geogr. des Westens* p. 93. Cfr. etiam Seeliger, in *Roscheri Myth. Lex.*

2) Cfr. I 46, 57. VIII 317.

igitur Geffckenii *Kallimachus wusste von der Isterfahrt, er lässt die Kolcher Polai gründen* more novellorum potius quam veterum concludi vides.

Si enucleare volumus quae fuerit ratio consiliumque Callimachi in his versibus edendis, via longe alia ingredienda est. Nam praeter Callimachum multi testes audiendi sunt, ac primus Apollonius. Libro IV 511 seqq. fortunas eorum Colchorum exponit qui Apsyrto iam interfecto, omni spe opus susceptum conficiendi orbati essent: quorum alios quidem in iisdem insulis ubi Argonautae appulerant sedes collocasse, alios terram Illyricam Encheleensibus proximam petiisse, alios in montibus Ceranniis domicilia constituisse. Tum narrat[1]) Apollonius de ea Colchorum parte qui, via per Cyaneas facta, usque ad Corcyram pervenissent, hos metu Aeetae commotos non rediisse sed inter Phaeacas ut socios exceptos esse, ibique diu habitasse donec gens Corinthia Bacchiadarum eos expelleret: tum sedes in terram continentem circa montes Ceraunios transtulisse. Adiecit poeta doctus,

ἀλλὰ τὰ μὲν στείχοντος ἄδην αἰῶνος ἐτύχθη.

In his Apollonianis eadem bis narrata esse observas. Unus est historiae fons etiamsi poeta duos Colchorum exercitus introduxit. Mox enim videbimus primordia huius memoriae a Corintho Corcyraque petenda esse, ut etiam Apollonius IV 1209 seqq. monstrat. Ergo ista narratio de Colchis per Histrum ad has regiones pervenientibus recentior et a pristina historia derivata est.

Deinde non incredibile est Timaeum aliquid de Colchis has regiones incolentibus accepisse. Quod maxime apparet duobus scholiorum Apollonianorum locis[2]) inter se collatis: Χερσικράτης δὲ εἷς τῶν Βακχιαδῶν ἔκτισε Κέρκυραν, ἐκβαλὼν τοὺς ἐνοικοῦντας Κόλχους· et Τίμαιος δέ φησι μετὰ ἔτη ἑξακόσια τῶν Τρωικῶν Χερσικράτη, ἀπόγονον τῶν Βακχιαδῶν, εἴτε ἐκπεσόντα τῆς Κορίνθου, εἴτε καὶ ἑκόντα, ἀπελθεῖν διὰ ἀτιμίαν

1) IV 1206 seqq.

2) in IV 1212, 1216. Memoriam pleniorem Florentinae editionis adhibui.

καὶ κατῳκηκέναι τὴν νῆσον. Tum de dracone Colchico vide scholia in Lycophronem 615. Deinde verisimile est etiam ea quae in schol. Lyc. 630 proferuntur Timaeo tribuenda esse. Accedit quod prima mentio terrae Κόλχιδος apud Eumelum poetam Corinthium invenitur[1]). Denique Homeri testimonium, in α 259 Odysseae, ad rem pertinet:

ἐξ Ἐφύρης ἀνιόντα παρ' Ἴλου Μερμερίδαο.

Mermerum, Medeae filium iam in carmine Naupactio commemoratum esse Pausanias II 3, 9 tradidit. Stirps igitur Medeae veneficae ei qui Odysseam in formam qua nunc est redegit haud ignota erat. Haud parvi aestimandum est scholium in hunc versum: Ἰάσων ἅμα τῇ Μηδείᾳ ἐν Ἐφύρᾳ τῆς Θεσπρωτίας παραγενόμενος ἴσχει Φέρητα οὗ ὁ Ἶλος, οἵτινες ἐβασίλευσαν Θεσπρωτίας, ὡς ἱστορεῖ Ἀπολλόδωρος ὁ Ἀθηναῖος· διὸ φαρμάκων ἐστὶν ἔμπειρος. Progenies igitur Medeae Apollodoro Atheniensi teste in regionibus prope Corcyram regnabat.

Quae cum ita sint, concludere licet Apollonium ea quae de dispersis circa Adriam Colchis narraverit, ex memoria uberiore desumpsisse. Neque Callimachus qui illud veriloquium nominis Polarum protulit hac in re solitarius fuit. Denique apparet quae inter tales historias et opinionem de Argonautis per Histrum navigantibus vera ratio sit. Hanc enim multo recentiorem atque ab illa pervetusta memoria magnopere adiutam esse O. Muellerus iamdiu perspexit[2]).

His iam satis tractatis Callimachea quae in scholiis Apollonianis ad IV 1322 servata sunt paucis tangam. Poeta Rhodius nymphas Libycas Argonautis omni spe redeundi destitutis opem consiliumque tulisse narrat. Docet scholiasta, περὶ δὲ τῶν νυμφῶν μέμνηται Καλλίμαχος, οὕτω λέγων·

δέσποιναι Λιβύης ἡρωΐδες αἳ Νασαμώνων
αὖλιν καὶ δολιχὰς θῖνας ἐπιβλέπετε
μητέρα μοι ζώουσαν ὀφέλλετε.

1) cf. Dion. Per. 488 seq., Plin. N. H. 3, 144, ubi de coloniis Colchorum in mari Adriatico sitis agitur.

2) *Orchomenos* p. 292.

Unde concludunt Knaackius [1]) et Iessenius [2]) haec quoque verba ad reditum Argonautarum spectare et Apollonium his etiam in rebus Callimachum presse secutum esse. Facilis quidem est coniectura, praesertim cum Cyrenae, ubi natus est Callimachus, et Libya iam vetustis temporibus ad errores Argonautarum pertinuerint. Nihilo minus certa ratione omnino non demonstratur. Tota enim quaestio pendet a verbis μητέρα μοι ζώουσαν ὀφέλλετε. Quae quomodo ad hanc fabulam pertinere possint, non apparet. Si enim Valckenario assentiamur qui verba de Callimachi matre dicta intellexit, aut cum Schneidero explicemus [3]), *poeta nymphas precatur ut vigentem patriam suam etiam magis augeant*, tamen nullum vestigium errantium Argonautarum reperitur. Ne Knaackio quidem rem declarare contigit. Concedamus ei Apollonium docere quomodo fragmentum Callimacheum intellegendum sit, etiam tum non efficitur ista conclusio. Ambiguum enim illud dearum dictum, quod recte interpretatus est Peleus (1370 seqq.), Iaso de sua matre intellegere non poterat, propterea quod deae formam verborum pluralem bis usurpaverant [4]). In hoc sane Knaackius verum vidit quod versus Apolloniani 1309, 1322 illa Callimachea Λιβύης ἡρωΐδες referunt. Quod etiam scholiasta cognovit et adnotavit. Sed neque scholiasta neque verba ipsa allata hanc similitudinem latius quam ad vocabulorum imitationem pertinere indicant. Sic plerumque Apollonius, teste scholiasta, Callimachum imitatus est [5]). Itaque nihil certi ex hac adnotatione erui potest nisi quod etiam Callimachus nymphas Libyae commemoravit.

Nunc disputationem Heckeri [6]) de navi Argo ad Phaeacum terram appulsa inspiciamus. Primum enim in scholiis ad Dion. Per. 495 et Ap. Rh. IV 983 servatum est illud

1) Callimachea p. 13.

2) Apud Pauly et Wiss. II 774.

3) Callimachea II 395.

4) 1327—1328: τίνετ', ὔμμε.

5) ad I 669, 1008, 1297, 1309.

6) Comment. Callim. p. 36 seqq.

ἀμφίδυμος Φαίαξ: tum apud Plinium N. H. IV 52 *Corcyra Homero dicta Scheria et Phaeacia, Callimacho etiam Drepane.* Vir doctus, postquam summa diligentia etiam alia testimonia pertractavit, has mentiones Corcyrae in carmine de Argonautis huc advenientibus esse factas statuit. Cui conclusioni nonnihil auxilii aliunde comparare posse mihi videor. Nam poeta Corcyram insulam etiam apposito φιλοξεινωτάτη ornavit. Versus est hymni in Delum 156:

οὐδ' ἥτις Κέρκυρα φιλοξεινωτάτη ἀλλέων,

Sane illa laus eximiae liberalitatis primo loco ad Ulixem a Phaeacibus humaniter affectum attingit. Sed in illo superlativo haud iniuria famam etiam Medeae Iasonisque apud Phaeaces commorantium agnosces. Tum opinione Heckeri recepta facile intellegitur cur Colchi persequentes in Adriam advenerint [1]). Itaque summa probabilitate dici potest Callimachum sicut Timaeum, Philetam, Apollonium in numero eorum qui nuptias Medeae in Corcyra collocaverint habendum esse.

Restat ut singula perstringam in quibus poeta Rhodius in vocibus et ornamentis orationis magistrum suum secutus est. Cuius generis exempla pleraque Knaackius apud Pauly et Wiss. s. v. Apollonius Rhodius congessit. Unum afferam quo quale sit totum genus facile perspicias. Apollonius in libro altero, quomodo filii Phrixi Colchidem relinquentes in Graeciam cursum dirigerent, his verbis depingit: vss. 1093 seq.

υἷηες Φρίξοιο μετὰ πτόλιν Ὀρχομενοῖο
ἐξ Αἴης ἐνέοντο παρ' Αἰήταο Κυταίου.

Quanta sit his cum Callimacheis (Frag. 113)

ἄρχμενος ὡς ἥρωες ἀπ' Αἰήταο Κυταίου

similitudo, viri docti iam pridem sentiebant. Tamen similitudo in verbis reddendis desinit neque ad eandem ratio-

---

1) Illis distichis quae sunt de Polis conditis subiecit Heckerus hoc fragmentum apud Step. Byz. s. v. Ἀβαντίς: καὶ Ἀμαντίνην ᾤκισαν Ὠρικίην, ita ut etiam in his memoria Colchorum nova domicilia constituentium reperiatur. At veri similius est Callimachum sicut Lycophronem (1043) fabulam Elephenoris in his respexisse.

nem carminis instruendi pertinet. Ergo ut talia in genere loquendi Apolloniano exquirendo et in universo ingenio poetae illustrando magni momenti sunt, ita in hac quaestione quae ad rerum tractationem pertinet parvi aestimanda sunt.

Alia quaedam fragmenta quae ad Argonautarum historiam Schneiderus rettulit, num huc recte relata sint, dubitaverim. Primum illud Κόλχιδος ἐκ καλάμης (apud Schneiderum 265) sive affirmas sive denegas de pallio Iasonis accipiendum esse, tota quaestio in incertis versatur. Tum Callimachus, teste Etym. Mag. p. 72, 8 (est frag. 324) Halyn et Irin unum fluvium, Apollonius II 367, 963, duos esse statuit. Cum poeta Rhodius hoc loco res geographicas, non fabulares respiciat, neque in his quidem cum Callimacho consentiat ad propositum nihil adiuvat haec comparatio. Denique distichon illud apud Strabonem XVII 837 (est frag. 112) quod est de insula primum Calliste, postea Thera dicta, e carmine desumptum esse videtur quod Cyrenas conditas potius quam reditum Argonautarum celebravit.

Fragmentis Callimacheis, quae ad propositum pertinent, ex ordine percensitis, par est formam carminis vel carminum in quibus de reditu illo agebatur, designare. Et primum hae reliquiae opinionem redarguunt Callimachum velut poetam epicum reditum Iasonis fuse ac copiose narrasse. Nam illa caedes fratris, quam Medea domi fecit, apud Callimachum sicut apud Euripidem unum duosve versus postulat. Tum ad viam quam Argonautae per Propontidem tenuerunt definiendam, nihil est cur magnum carmen ponamus. Deinde cum illi versus de Anaphe insula ad rectam a Ponto in Thessaliam viam non pertineant, concludimus heroes apud Callimachum etiam per mare Aegaeum errasse. Omnia quidem adhuc tractata in fines unius carminis facili negotio includas. Denique illam historiam de Polis conditis in duobus distichis absolutam esse vides. Omnia igitur indicia nos deterrent quominus Callimacho magnum carmen vel magna carmina attribuamus.

Alterum quidem ex his reliquiis cum Apollonianis comparatis erui potest. Cavendum enim est ne in elegiis restituendis poetae epico nimis confidas. Cum enim alterum ab altero carmine cum natura tum ex arte Alexandrina longissime distet, summma cautione opus est, si ab Apollonio profectus ad Callimachum ascendere vis. Scimus quidem quod ad universam reditus rationem attinet Cyrenaeum ab insulsis illis fabulis geographicis se retinuisse. Apollonii enim narratio ex duabus partibus constat, quarum una ad regiones singulas iam vetustis temporibus cum hac fabula coniunctas pertinet, altera ad rationem qua hae regiones diversae in unum reditum rediguntur. Quod fecisse cum maxime intersit epici poetae, a Callimacho alienum omnino fuisse, consentaneum est. Itaque Apollonius si omnino in rebus Argonautarum narrandis ad Callimachum se applicuit, in singularum fabularum coloribus veluti in veriloquiis et maxime in ornamento orationis cohibuisse imitationem existimandus est.

Conclusio igitur firma atque certa efficitur Callimachum in reditu enarrando rationem ab Apollonio plane diversam secutum esse. Quae ipsis Callimachi verbis examinatis enucleavimus, eadem etiam iudicio et auctoritate scholiastae freti dicimus. Par enim est, cum fides scholiorum non tam facile quam Schneiderus putaverit subverti possit, hoc quoque argumentum perpendere. Ratione enim satis certa concludendum est scholiastae, qui hac in adnotatione Callimachum bis testem advocavit, carmina Callimachea satis nota fuisse. Qui igitur illa verba οὐδεὶς δὲ ἱστορεῖ διὰ τούτου τοὺς Ἀργοναύτας εἰσπεπλευκέναι κτε. intellegi possunt? Profecto necesse esset, si Schneidero adstipularemur, illud ponere quod ne speciem quidem veritatis prae se fert, scholiastarum alterum illa Callimachea, alterum hanc adnotationem de Timageto condidisse. Inest sane in scholio illud de Hecataeo testimonium quod viros doctos diu vexavit, quod vero id tantum docet aut nomen esse corruptum aut nonnulla intercidisse. Tali de causa ne suspicionem quidem de diversis scholii fontibus habere licet.

Itaque cum traditum sit οὐδεὶς δὲ ἱστορεῖ διὰ τούτου τοὺς Ἀργοναύτας εἰσπεπλευκέναι εἰς τὴν ἡμετέραν θάλασσαν ἔξω Τιμαγήτου, ᾧ ἠκολούθησεν Ἀπολλώνιος, eo efficitur ut Callimachus qui commentatori haud ignotus erat per haec verba a numero eorum qui de reditu per Histrum narraverint excludatur.

III.

DE MIRABILIVM AVSCVLTATIONVM LIBRI CAPITE CV.

Supra ostendi fragmenta Callimachea nihil omnino praebere, cur fides scholiastae in dubium vocetur. Quod ut concedas, tamen scriptoris alicuius testimonium in libro, qui auctorem ementitur Aristotelem, servatum sententiae interpretis veteris repugnare videtur. Caput enim CV. libri cui titulus περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων est sic incipit: φασὶ δὲ καὶ τὸν Ἴστρον ῥέοντα ἐκ τῶν Ἑρκυνίων καλουμένων δρυμῶν σχίζεσθαι καὶ τῇ μὲν εἰς τὸν Πόντον ῥεῖν, τῇ δὲ εἰς τὸν Ἀδρίαν ἐκβάλλειν. Tum exponitur Iasonem hac via ex Ponto in Adriam rediisse. Cum totum caput in diversis illius fabulosi reditus rationibus exponendis et comparandis versetur, de eius indole fontibusque disserere opus est. Sed initio disputationis confiteor hanc quaestionem suscipere longe aliud esse ac rem ad finem ducere. Via enim investigandi, ut statim apparebit, perdifficilis est neve me plus consecuturum esse quam quod veri simile sit exspectaveris.

Ac primum quidem caput ipsum CV. inspiciamus, quale sit et quomodo cum ceteris quae in unum illum librum congesta sunt, cohaereat. Duo enim capita CIV. CV. ad regiones circa intimum Adriae sinum pertinent, sic quidem ut quodammodo singularia et a reliquis seiuncta videantur. Nam paulo ante de regionibus Italicis Siculisque agitur, eodemque oratio in capp. CVI. seqq. revertitur. Artior igitur est quasi nexus inter haec duo et firmior. Primum de monte quodam prope Adriam sito, unde etiam

naves Pontum intrantes conspici possint, tum de foro communi, ubi mercatores ab utroque mari sua coemant, audimus. Hactenus hoc caput, quod excipit illud mirabile de Histro in duas partes diviso, quarum altera Pontum altera Adriam petat. Deinde in sequentibus praeter opinionem dictum est (ut primum verba tradita respiciamus) istas regiones navigiis pervias non esse. Statim vero argumenta[1]) proferuntur quibus appareat naves per Histrum usque ad Adriam pervenire posse. Quae vero secuntur[2]), in argumentationem de Histro et Adria prorsus non quadrant. Quo enim pacto iter per Planctas factum, reditum per Histrum Adriamque demonstrare potest? Deinde de Argonautarum reliquiis mirabilibus in mari Tyrrheno repertis verba fiunt. Tum inde a verbis ἔτι δὲ τούτων φανερώτερα σημεῖα κτε. usque ad capitis finem ab alia parte de via reditus disputatur. Inter se enim opponuntur iter per Symplegadas vel (quod idem est) Cyaneas et reditus praeter scopulos occidentales. Acriter quidem contendit horum scriptor Argonautas minime per Ponti ostium domum rediisse: verba enim poetae, qui ignis procellas a scopulis emitti dicat, solum ad freta inter Siciliam et Italiam referri posse.

Itaque in hac orationis particula quam incongruentia in unum composita sint facile perspicis. Nam cum principio Hister in speciem furcae dividi dictus sit, repente ad res longe alias neque cum propositis conexas transitur. Duae quidem opiniones de Argonautarum erroribus permiscentur, quarum una his verbis exprimitur καὶ γὰρ Ἰάσονα τὸν μὲν εἴσπλουν κατὰ Κυανέας, τὸν δ᾽ ἐκ τοῦ Πόντου ἔκπλουν κατὰ τὸν Ἴστρον ποιήσασθαί φασι; altera sic exprimi possit ἔκπλους οὐ διὰ τῶν Συμπληγάδων ἐγένετο· οὐ γὰρ ἂν παρέπλευσεν Ἰάσων τὰς Πλάγκτας καλουμένας, περὶ Σικελίαν οὔσας. Altera igitur sententia viam reditus per Histrum Adriamque exponit, altera, cum rem ab alia parte aggrediatur, potius in opinione vulgata oppugnanda et refu-

1) In his καὶ γὰρ Ἰάσονα ..... ἱδρυμένον.
2) ἔτι δὲ λέγουσιν κτε.

tanda versatur. Atque ad hanc alteram argumentationem referenda est etiam mentio signorum in Aethalia, maris Tyrrheni insula, repertorum. Ut iam rem paucis comprehendam, omnia quae in hac altera capitis particula continentur huc spectant, ut demonstretur reditum per mare Tyrrhenum et fretum Siculum actum esse. Praeterea apertum est haec argumenta ad aliquem qui in contrariam partem disputaverit vel fortasse ad opinionem fere omnibus notam ac acceptam respicere. Neque is qui demonstrare studeret Argonautas per Histrum et Adriam cursum tenuisse ea ratione niti poterat, ut illa signa de Planctis et Aethalia afferret. Quod si mihi concesseris hoc caput ex duabus partibus et duobus ratiocinandi modis constare, inquirendum erit quo consilio quave causa haec dissimilia in unum coniuncta sint.

Ordiamur igitur a parte altera, de cuius fontibus haud pauca comperta habemus. Testimonium enim magnopere cum his consentiens, apud Diodorum Siculum (IV 56) servatur, quod cum ad hanc quaestionem disceptandam magnum auxilium ferat, diligentius tractare opus est. Diodorus quidem per libri quarti capp. XL—LVI de tota expeditione Argonautica fusius et continua oratione disseruit, ita ut primum de nave aedificanda, deinde de via usque ad Colchos et rebus ibi actis, tum de reditu per Hellespontum, denique de Medeae Iasonisque fortunis posterioribus verba faceret. Quae narratio sub finem paragraphi alterius capitis LVI. desinit. Sed Diodorus nondum Argonautica enarranda perfecit, sed statim καταλειπόμενα quaedam de hac fabula adiecit, his quidem verbis: οὐκ ὀλίγοι γὰρ τῶν ἀρχαίων συγγραφέων καὶ τῶν μεταγενεστέρων, ὧν ἐστι καὶ Τίμαιος, φασὶ . . . . . ἀναπλεύσαντας γὰρ αὐτοὺς διὰ τοῦ Τανάιδος ποταμοῦ ἐπὶ τὰς πηγὰς καὶ κατὰ τόπον τινὰ τὴν ναῦν διελκύσαντας καθ' ἑτέρου πάλιν ποταμοῦ τὴν ῥύσιν ἔχοντος εἰς τὸν ὠκεανὸν καταπλεῦσαι πρὸς τὴν θάλασσαν κτε. Diodorus igitur hanc opinionem de cursu per Tanaim, Oceanum septemtrionalem occidentalemque, freta Gaditana facto quibusdam auctoribus ac praesertim Timaeo tribuit. Quare non dubium est quin

Timaeus is auctor fuerit ad quem Diodorus imprimis respexerit [1]). Hac mirabili via reditus iam allata argumenta secuntur quae a vestigiis Argonautarum circa illas regiones repertis petuntur. Quae pars orationis usque ad verba πρὸς δὲ τούτοις ὑπ' ἀνέμων αὐτοὺς ἐκριφέντας εἰς τὰς Σύρτεις, illum per Tanaim, Oceanum, mare Tyrrhenum reditum defendit et haud dubie a Timaeo manavit. Reliqua vero, quae sunt de navi in Libyae oras delata, haud scio an a Timaeo abiudicanda sint. Neque enim alius testis exstat qui Timaeo talia tribuat neque, quod maxime rem continet, vis argumenti quod ex rebus geographicis et situ locorum efficitur, etiam ad haec pertinet [2]). Contra omnia quae antecedunt inter se bene congruunt et unam integramque quasi imaginem reddunt. Habemus igitur non solum Timaei sententiam de Argonautarum reditu, sed etiam rationes quas in sententiam corroborandam ille contulit. Profecto haud levis momenti est aestimandum quod ex his Timaeum opinionem suam argumentis confirmasse demonstratur, ac talibus quidem argumentis quae a notitia illorum circa Italiam et Tyrrheniam locorum ducta sunt. Sed etiam aliis testibus utimur quorum ope in Timaei opinione enucleanda nonnihil proficimus. In scholiis Apollonii Rhodii ad IV 786 ubi de Argo per Planctas praetervecta agitur, haec leguntur: Πλαγκταὶ πέτραι ἐν τῷ πορθμῷ εἰσιν, ὡς Τίμαιος καὶ Πεισίστρατος ὁ Λιπαραῖος. Cum in his verbis ἐν τῷ Πορθμῷ ad freta Messania, Πλαγκταί autem ad iter Argonautarum plane respiciat, satis constat Timaeum hunc reditum per freta inter Siciliam et Italiam esse factum contendisse. Quae conclusio cum illis Diodoreis omni parte concinit.

Idem Diodorus etiam alia quae hanc quaestionem

---

1) Sic Enmannnus *Untersuchungen über die Quellen des Pompeius Trogus,* p. 195: *Die dort stehenden Worte heissen für jeden, der Diodors Art zu citiren kennt, nichts anderes als: Timaios erzählt, indem er sich dabei auf alte und neuere Schriftsteller beruft.*

2) cf. Guentheri dissertationem *De ea quae inter Timaeum et Lycophronem intercedit ratione* p. 49.

tangant praestat. Libri quinti capite VI regionem circa Aetnam his verbis depingit: ὕστερον δὲ τῆς Αἴτνης ἐν πλείοσι τόποις ἀναφυσήματα πυρὸς ἀνιείσης, καὶ πολλοῦ κατὰ τὴν χώραν ῥύακος ἐκχυθέντος, συνέβη φθαρῆναι τῆς γῆς ἐπὶ πολὺν τόπον. Iam exploratum est[1]) et haec et multa quae initio huius libri Diodorus congessit, nihil esse nisi Timaei doctrinam. Tum Strabonem (V 223) Timaei verba ob oculos habuisse, recte statuit Guentherus (p. 47) his potissimum comparatis: —

Timaeus ap. Diod. IV 56	Strabo V 224
περὶ μὲν γὰρ τὴν Τυρρηνίαν καταπλεύσαντας αὐτοὺς εἰς νῆσον τὴν ὀνομαζομένην Αἰθάλειαν τὸν ἐν αὐτῇ λιμένα, κάλλιστον ὄντα τῶν ἐν ἐκείνοις τοῖς τόποις Ἀργῷον ἀπὸ τῆς νεὼς προσαγορεῦσαι.	ἔστι δὲ κατὰ τὴν Αἰθαλίαν λιμὴν Ἀργῷος ἀπὸ τῆς Ἀργοῦς ὥς φασιν. ἐκεῖσε γὰρ πλεῦσαι τὴν τῆς Κίρκης οἴκησιν ζητοῦντα τὸν Ἰάσονα, τῆς Μηδείας ἐθελούσης ἰδεῖν τὴν θεάν· καὶ δὴ καὶ τῶν ἀποστλεγγισμάτων παγέντων ἃ ἐποίουν οἱ Ἀργοναῦται, διαμένειν ἔτι καὶ νῦν διαποικίλους τὰς ἐπὶ τῆς ἠϊόνος ψήφους.

Si igitur omnia ad Argonautarum reditum pertinentia quae aut disertis verbis Timaeo tributa sunt aut ratiocinatione firma ei vindicari possunt, in unum comprehendimus, in aperto est quanta exstet similitudo cum his pseudoaristotelicis quae iam tractamus. Quae tamen similitudo totum caput non attingit. Immo illa pars prior narrationis, quae est de Histro diviso et in utrumque mare delato, tum de aris ab Iasone in Adriae insulis exstructis, plane aliena est ab illis quae omnium testium consensu Timaeo tribuenda sunt. Sed inde a verbis ἔτι δὲ λέγουσιν ὡς οὐκ ἂν παρέπλευσε κτε. omnia Timaeum admonent. Atque haec sententia manifeste ab eo enuntiata est qui contendit illos scopulos periculosos quos Argo praetervecta sit, in regionibus occidentalibus circa Italiam

---

1) cf. Muellenhoffium, *Deutsche Altertumskunde* I 442. Guenhterum l. c. p. 28 adn. 1. Geffckenium, l. c. pag. 62.

et Siciliam sitos esse; id quod Timaeus teste scholiasta ad Ap. Rhod. IV 786 revera enuntiavit. Tum quae Strabo V 224 de insula Aethalia narravit sunt quasi nexus quo illa de eadem insula apud Diod. IV 56 et haec pseudoaristotelica coniunguntur. Denique haec de Aetna ut paulo ante vidimus item Timaeo vindicanda sunt.

Quae cum ita sint, conclusio scriptorem in his conscribendis Timaei verba in suum usum convertisse evitari non potest. Iuvat igitur ex his nonulla quae rationem Timaei in hac fabula tractanda clarius illustrent colligere. Non solum enim monumenta Argus et ista mirabilia, sed etiam Homeri verba quasi plurimum valentia, quae quidem demonstrent Planctas in ostio Ponti non esse positas sed circa Aetnam et Siciliam, advocata sunt. Item apparet Timaeum non satis habuisse vera vel verisimilia de hac praeclara expeditione narrasse, sed etiam falsa ac perversa refutasse.

Consequitur ex his hactenus disputatis alteram partem huius capitis et unam simplicemque esse et Timaeo vindicandam. Restat ut locus ille quo oratio a prima in alteram partem quasi transit paucis tractetur. Haec enim sententia ἔτι δὲ λέγουσιν .... εἰ μὴ ἐκεῖθεν ἀπέπλει eo offendit quod ἐκεῖθεν si situm locorum omnibus bene notum respicis, iis quae antecedunt minime accomodatum est. Quis enim tale ratiocinandi vitium in se admitteret ut asseveraret opus esse Argonautas, quia per Adriam iter fecerant, idcirco per Planctas navigasse? Quare in difficultate infringenda nihil proficeret qui illud ἐκεῖθεν temptaret. Concedamus enim Πλάγκτας ad freta Sicula spectare[1]) (id quod dubitari non debet) tum contextus

1) Enmannus quidem l. c. pag. 193 seqq. ut magno acumine haec tractavit, ita hac in re mea sententia perperam iudicavit. Cum enim sibi persuasisset totum caput a Timaeo repetendum esse, omnia quae sunt de Histro et Adria nihil esse credidit nisi argumenta scriptoris cuiusdam qui reditum per Histrum factum esse contenderet; eidem scriptori quem Timaeus impugnaret, etiam hanc sententiam ἔτι δὲ λέγουσιν κτε. tribuendam esse. Verba ipsa habes (pag. 196) *Die Cyaneischen Inseln lagen an der Mündung des Istros und wurden, und das*

sententiarum tali modo restitui non potest. Itaque auxilium aliunde petendum est. Apud Diodorum rursus materiam ad ea quae desunt supplenda invenimus. Verba ipsa describam (IV 56): ἀναπλεύσαντας γὰρ αὐτοὺς διὰ τοῦ Τανάιδος ποταμοῦ ἐπὶ τὰς πηγὰς καὶ κατὰ τόπον τινὰ τὴν ναῦν διελκύσαντας καθ' ἑτέρου πάλιν ποταμοῦ τὴν ῥύσιν ἔχοντος εἰς τὸν ὠκέανον καταπλεῦσαι πρὸς τὴν θάλασσαν .... καὶ πλησίον γενομένους Γαδείρων εἰς τὴν καθ' ἡμᾶς θάλασσαν εἰσπλεῦσαι. Tum bene haec legas (ἔτι δὲ λέγουσιν ὡς) οὐκ ἂν παρέπλευσε τὰς Πλάγκτας (καλουμένας) εἰ μὴ ἐκεῖθεν ἀπέπλει. Iam patet ἔτι δὲ λέγουσιν et καλουμένας excerptoris esse; sententiam autem condicionalem in qua vis omnis argumenti continetur non excerptoris sed ipsius fontis esse. Imperfecta enim esset ratiocinatio nisi protasis quaepiam adderetur. Cum igitur protasis pars integra ac necessaria totius sententiae, ἐκεῖθεν autem pars necessaria huius protasis sit, mihi non dubium videtur quin etiam illud ἐκεῖθεν retinendum sit.

Tali igitur ratione haec altera pars orationis explicari potest. At mihi respondebis explicandum esse etiam totum caput: fieri enim posse ut scriptor aliquis qui sane Timaeo multa debuerit rem consulto narraverit ita ut nunc legimus: apud Strabonem enim V 224 traditum legi

---

ist das Hauptargument der Gegner des Timaios, identificirt mit den Symplegaden. Dieses Argument wird im Excerpt deutlich angeführt: ἔτι δὲ λέγουσιν κτε. *Timaios widerlegte dieses Argument, indem er zeigte, dass die Symplegaden* (Πλάγκται) *nicht an die Istermündung, sondern an die Meerenge von Messina zu verlegen seien.* Sed haec ratio difficultatis sublevandae eo laborat quod ex se novam difficultatem procreat. Quis enim apud veteres putabat aut Cyaneas aut Symplegadas aut Planctas in Histri ostio esse collocatas? Ne obscurum quidem indicium exstat quemquam talia confinxisse, neque quae in hoc capite de Planctis dicta sunt vel speciem huius opinionis praebent. Nam illa verba τὸν δὲ εἴσπλουν κατὰ τὰς Κυανέας quibus potissimum Enmannus niti videtur, minime ita accipi possunt quasi diceretur τὸν δὲ εἴσπλουν εἰς τὸν Ἴστρον κατὰ τὰς Κυανέας κτε. Εἴσπλους est sine ulla dubitatione ingressus in Pontum per Cyaneas vel Symplegadas factus, qui cum illo egressu per Histrum comparatur. Quae cum ita sint, denegaverim talem adversarium Timaei cui Enmannus sententiam tam inauditam imponere voluerit, omnino exstitisse.

Iasonem ad Circes insulam appulisse cum Medea deam visere cuperet; quam memoriam auctorem huius capitis ea causa adhibuisse ut explicaret cur Argonautae, Adria relicta, cursum per Planctas et mare Tyrrhenum tenuissent; scriptorem igitur huius capitis diversa in unum redegisse, cum Timaei opinionem et iter per Adriam nova ratione coniungeret.

Hanc fere sententiam fert Geffckenius l. c. pag. 92. Recte quidem illam difficultatem, quae initio capitis veram sententiam obscurabat, Wilamowitzio suadente sic sublevavit: ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῶν ἀρχαίων μᾶλλον οἴονται ἐκεῖνα πλωτὰ εἶναι· (libri, οἷον τὰ ἐκεῖ ἄπλωτα εἶναι). Contextus verborum non tam perturbatus est quam Enmannus existimavit, qui pristinam orationem in his corruptelis latere statuerit. Nihil quidem per totum locum vexat nisi illud ἄπλωτα quod progressum sententiae repente in contrariam partem convertit. Sed ex verbis sic emendatis quam rationem Geffckenius conclusit, *so ist innerhalb des Capitels selbst eine richtige Gedankenfolge hergestellt*, neglegenter conclusit. Nam hac ratione Circes insula quasi meta totius itineris per Planctas et mare Tyrrhenum instituti fit, quo heroes cursum direxerunt undeque redierunt. Atque illa monumenta et praeternavigatio Planctarum tum ad propositum demonstrandum valent, si tota vis argumentationis, nulla ratione situs locorum habita, in hanc obscuram fabulam collocatur. At mittamus dubitationes et hanc explicationem cui ratio grammatica maxime favet, ponamus; tum mentionem reditus per Histrum scriptori alicui non tantum Timaeo sed etiam Apollonio posteriori tribuendam esse veri simillimum est. Nam talia quae hic composita invenimus consilium grammatici alicuius aperiunt, neque ullo modo geographo nobili veluti Timaeo digna sunt. Quod genus doctrinae Hygini fabula XXIII, de qua mox agam, optime illustratur. Ob eam causam ad partem Geffckenii accedere nequeo, qui in his Timaei genuinam sententiam latere statuit. Atque id maxime premendum est, Diodori testimonium (IV 56) qui nobis docet quae Timaeus de Iasonis erroribus protu-

lerit, principatum obtinere, neque nostris ratiocinationibus infirmari posse.

Sed de his satis dictum est, nam apparet totam quaestionem de prima parte huius capitis unde et quibus temporibus orta sit, obscuriorem esse quam ut in tanta penuria subsidiorum accuratius definiri possit.

Nunc ad scholium in Ap. Rh. IV 284 οὐδεὶς δὲ ἱστορεῖ διὰ τούτου τοὺς Ἀργοναύτας εἰσπεπλευκέναι εἰς τὴν ἡμετέραν θάλασσαν ἔξω Τιμαγήτου, ᾧ ἠκολούθησεν Ἀπολλώνιος, redeamus, unde tota commentatio profecta est.

Utcumque de his pseudoaristotelicis iudicas, fides scholiastae eis non infringitur. Qui cum asseveraret neminem praeter Timagetum ducem Apollonii fuisse, plenam ac perfectam cognitionem totius litterarum memoriae nequaquam sibi arrogavit. Licet suspicari ad illos auctores qui simul appellantur, potissimum respici, quae coniectura eo confirmatur quod ille reditus per Tanaim et Oceanum quem Diodorus apud Timaeum legebat, non Timaeo sed Scymno tribuitur. Itaque scriptores omnes quicumque de re exposuerunt enumerare interpres non studuit, sed id tantum contendit Apollonium ab uno pendere Timageto, differre autem ab ea sententia quae Argonautas per Phasim nec minime ab altera quae eosdem per Tanaim in Oceanum pervenisse ferebat, huius poetas, illius Scymnum tamquam auctores gravissimos excitavit. At Schneiderus hisce verbis in eum invehitur[1]: *manifesto erravit ut docent scriptorum loci a Beckmanno ad Arist. de Mirabil. Auscult. p. 230 collecti: credebant enim Istrum fluvium in duas partes scindi, quarum altera flueret in Pontum, altera in Adriam.* Quibuscum confer Plinii locum (N. H. 3, 128) ubi hic error quomodo ortus sit sic explicatur: *Nullus ex Danuvio amnis effunditur. Deceptos credo quoniam Argo navis flumine in mare Adriaticum descendit non procul Tergeste, nec iam constat quo flumine.* Profecto duas res quae inter se distinguenda sunt, Schneiderus omnino non distinxit, quas res

1) Call. II 81.

Plinius, quasi sic causa erroris indagari posset, falsa ratione copulavit. Inquirendum enim est, quando et quibus causis haec opinio de Histro etiam in Adriam decurrente orta sit, deinde utrum reditus Argonautarum per flumen sic divisum errorem geographicum progenuerit an potius ex opinione geographica pristinus Argonautarum reditus mutatus sit.

Et primum quidem dubitari non potest quin hic error de Histri cursu post Herodotum demum initium ceperit[1]). Dicit enim Herodotus (II 33) ubi comparationem inter Nilum et Histrum instituit, Histrum totam Europam permeantem in Pontum Euxinum decurrere. Tum addit, ὁ μὲν δὴ Ἴστρος, ῥέει γὰρ δι᾽ οἰκευμένης, πρὸς πολλῶν γινώσκεται. Denique fluvios percenset (IV 49) qui per totam regionem a Thracia usque ad Italiam (χώρης Ὀμβρικῶν) aquas ad septemtriones in Histrum mittunt. Sine dubio Herodotus cursum fluminis sic non depinxisset, si quidquam de Histro aquas etiam in mare Adriaticum mittente audivisset, neque de tali fama tacuisset. Cum probabile sit Herodotum, qui notitiam illis temporibus eximiam habuit, ea quae de hoc flumine tradit mercatoribus qui in Ponto Euxino et Histri ostio versabantur debere fons huius erroris aliunde petendus est. Primum enim testimonium et optimum et vetustissimum exstat in libro qui *Periplus Scylacis Caryandensis* inscribitur cap. 20 Μετὰ δὲ Ἐνετούς εἰσιν ἔθνος Ἴστροι, καὶ ποταμὸς Ἴστρος· οὗτος ὁ ποταμὸς καὶ εἰς τὸν Πόντον ἐκβάλλει κτε.[2]). Statim movetur suspicio similitudinem nominis eam opinionem quae inter recentiores saepissime repetita est, evocasse. Quod etiam scriptor aliquis vetustus apud Diodorum Sic. IV 56 perspexit. ἀλλὰ γὰρ τοῖς συγγραφεῦσιν αἰτίαν τῆς πλάνης φασὶ γενέσθαι τὴν ὁμωνυμίαν τῶν ποταμῶν.

1) Cf. H. Bergerum, *Geschichte der wissenschaftlichen Erdkunde der Griechen* I 87.

2) Etiam Hecataeus gentem Histrorum commemoravit, cf. Steph. Byz. s. v. Ἴστροι· ἔθνος ἐν τῷ Ἰονίῳ κόλπῳ· Ἑκαταῖος Εὐρώπῃ. Cavendum autem est ne Scylacis opinionem ei tribuas. Talia enim neque tradita sunt neque si Hecataeus ea scripsisset Herodotum fugissent.

Item Strabo I 57 κοινὴν δέ τινα τῶν πρὸ αὐτοῦ τισὶν ἄγνοιαν ταύτην ἠγνόηκεν, ὑπολαβοῦσιν εἶναί τινα ὁμώνυμον τῷ Ἴστρῳ ποταμὸν ἐκβάλλοντα εἰς τὸν Ἀδρίαν ἀπεσχισμένον κτε. Non solum Hipparchus quem Strabo in his reprehendit, sed etiam Theopompus [1]) sic deceptus est. Hanc opinionem de cursu Histri viris doctis tunc temporis acceptam esse docet locus maxime nobilis apud Aristotelem *Hist. Animal.* VIII 13: αἴτιον δ' ὅτι οὗτοι μόνοι ἀναπλέουσιν εἰς τὸν Ἴστρον εἶθ' ᾗ σχίζεται, καταπλέουσιν εἰς τὸν Ἀδρίαν· σημεῖον δὲ, ἐκεῖ γὰρ συμβαίνει τοὐναντίον κτε. Quomodo procedat ratiocinatio dignum est quod inspiciatur. Exposuit vir magnus de piscibus quibusdam qui Pontum intrantes non amplius egredientes videantur; cuius rei causam esse quod pisces Pontum per Propontidem revera non relinquunt sed per Histrum in Adriam egrediuntur; rem sic se habere hoc indicio (σημεῖον) probatum esse, pisces illis regionibus a flumine in mare descendentes capi; contra autem circa Pontum fieri. Iam perspicies rationem: sciebat Aristoteles consuetudines thynnorum Pontum intrantium: sciebat quoque consuetudines eorum qui circa Adriam capiebantur: atque credebat Histrum in utrumque mare influere. Quam opinionem quasi fundamentum firmum ac certum posuit. Nam duas res bene notas, quae explicatione carebant, illo tertio de Histri cursu quasi vinculo coniunxit et explanavit. Etiamsi ex his enucleari non potest, quomodo haec opinio primo facta sit, tamen plane apparet cur error qui nobis mirificus videtur, tam diu vigere et florere potuerit. Talibus enim fidem dedit vir inter veteres acumine ingenii princeps.

Sed ab alia quidem parte ad rem accedere possumus. In libro de Mirabil. Auscult. cap. CIV. fori communis mentio fit ubi mercatores a Ponto cum illis ab Adria profectis convenirent [2]). Sine dubio in his memoria obscura neque satis intellecta latet commercii mercatorum inter has re-

1) Cf. Strab. VII 317.
2) Cf. Bergerum, *Die Geogr. Frag. d. Erat.* pag. 347 adn. 1.

giones habiti [1]). Quae fama si vulgo circumferebatur neque certa locorum viarumque cognitione nitebatur, facillime opinionem de his regionibus fluvio percursis confirmabat.

Iam vidimus saeculo ante Christum quarto teste Scylace nomen gentis et fluvii intimo Adriae sinu cum nomine Histri fluvii ingentis congruens exstitisse. Procul dubio neutrum primo ab altero pendebat sed utrumque suo iure usurpabatur. Qui primus flumen per Histrorum fines in Adriam influens pro bracchio magni amnis Pontum Euxinum petentis habuerit, traditum non est. Sed vidimus quibus causis Aristoteles hunc errorem receperit: scimus Theopompum quoque haec credidisse [2]). Mox alius scriptor nescio quibus temporibus exstitit qui rem ea ratione novavit ut illum fabulosum Iasonis reditum huc collocaret. Magni est quod Apollonius qui totam fabulam versibus expressit, idem narravit. Quo factum est ut haec narratiuncula de Histro apud posteriores fere semper [3]) cum hac fabula coniuncta circumferretur. Cum igitur haec duo quasi inseparabilia et individua fierent, sic quidem ut unum rarissime ab altero seiunctum commemoraretur, profecto non miramur quod Plinius rem sic declarare voluit: *deceptos credo, quoniam Argo navis flumine in mare Adriaticum descendit non procul Tergeste.* Sed haec conclusio more veterum facta haud probanda est. Causa enim erroris de Danuvio etiam in Adriam descendente per fabulam Argonauticam minime explicanda est, sed contra potius. Nam prior est hic error de locorum natura: quo iam accepto mox orta est opinio de Argonautarum reditu per hanc viam effecto.

Ut iam haec de Histro in Adriam influente per similitudinem nominis evocata sunt et per inscientiam regionum diu fovebantur, sic error tum primum sublatus est

---

1) Cf. Brehmerum, *Entdeckungen im Alterthum* I 2, 406 seqq. qui rem diligenter exploravit.

2) Cf. Bergerum pag. 347 qui iure dubitat, num Eratosthenes in numero istorum fuerit.

3) Vide autem Hipparchum apud Strabonem I 57.

cum Romani multis annis post bellum contra Histros gerentes fontes fluminis in proximis montibus invenerunt [1]. Itaque, ut rem paucis dicam, haec opinio de Histro quod ad ortum et interitum attinet, ex rationibus geographicis explicanda est, quod autem tam late disseminata ac divulgata est, id Apollonii auctoritate effectum esse dixeris.

IV.

DE TIMAEO.

Initio huius commentationis versus libri IV 552—556 attuli qui mihi monstrare videbantur poetam ad novum caput transire. Quae secuntur ex duabus partibus constant, quarum prima de cursu per Eridanum et Rhodanum in mare internum, altera de via itineris illinc usque ad Corcyram est. De hac parte quoniam res magis in aperto est primum paucis agam. Scholiasta enim in universum rem confecit cum ad IV 661 haec adscriberet: ἔοικεν Ἀπολλώνιος ἐκδεδέχθαι τὴν Ὀδυσσέως πλάνην περὶ Τυρρηνίαν καὶ Ἰταλίαν. ἐκεῖ γὰρ ὑποτίθεται τὴν Κίρκην οἰκεῖν. Homerus igitur omnium princeps est, cuius in verba Timaeus illustris ille rerum geographicarum scriptor iuravit. Qui quomodo Argonautica narraverit, partim certo scimus partim rationibus satis validis eruere possumus. Cum autem pleraque diligenter iam tractata sint [2]), summam rerum breviter proponam.

Et primum fundamentum firmissimum Diodorus Siculus

1) Cf. Diod. Sic. IV 56. Hoc bellum quibus temporibus gestum sit, non accurate scimus. Anno a. Chr. 17 Histri nondum subacti erant. Vid. Zippel *die römische Herrschaft in Illyrien* p. 175. Tum confer Suet. Caes. 22: *et initio quidem Galliam Cisalpinam, Illyrico adiecto, lege Vatinia accepit.* Unde concludendum est anno a. Ch. 59 totam regionem circa Adriam ad imperium populi Romani iam adiunctam esse. Rem propius definire nequeo.

2) Cf. Guentherus l. c. 27 seqq., 47 seqq., tum quae supra de Pseudoaristotelicis exposui.

praebet (IV 56), qui Timaeum Argo navem per Oceanum septemtrionalem et freta Gaditana praeter Tyrrheniam et oram Italiae redeuntem fecisse tradit. Tum scholia Apolloniana (ad IV 1153, 1217) docent Timaeum de nuptiis Medeae Corcyrae effectis et de aris in nuptiarum memoriam prope urbem exstructis egisse. Itaque hos duos quasi fines terminosque habemus in quibus pars reditus cum magna tum per se absoluta includitur. Nam Argonautae ex partibus occidentalibus venientes et praeter Italiam navigantes sine dubio apud Timaeum ad Corcyram appulerunt, quem cursum nautae veteres ab occidente Graeciam petentes tenere solebant[1]). Sic etiam apud Apollonium procedunt Argonautae. Ergo in hac reditus parte a mari Tyrrheno usque ad Corcyram Timaeus Apollonio praeivit. Sed etiam in singulis consentiunt. Ac primum quidem quod poeta fingit Argonautas ad Circes insulam advenisse aliquatenus ex geographo pendet. Strabo enim (V 224) duo de insula Aethalia sic coniunxit: ἔστι δὲ κατὰ τὴν Αἰθαλίαν λιμὴν Ἀργῷος ἀπὸ τῆς Ἀργοῦς, ὥς φασιν. ἐκεῖσε γὰρ πλεῦσαι τὴν τῆς Κίρκης οἴκησιν ζητοῦντα τὸν Ἰάσονα, τῆς Μηδείας ἐθελούσης ἰδεῖν τὴν θεάν. Iam haec de portu nomen ab Argo recipiente e Timaeo profluxisse locus Diodori passim a me citatus demonstrat. Unde concludas[2]) Timaeum etiam adventum Argonautarum ad Circen narrasse. Tum magni momenti est quod Apollonius in versibus saepenumero allatis (IV 552—556) se insulas Stoechades et monumenta Argus insignia in mari Ausonio inventa laudaturum esse pronuntiat. Quos versus ut recte aestimemus, mox comperimus (IV 651—652) in insulis Stoechadibus aras et sacra exstare quibus filii Iovis semper colantur. Infra commemoratur Aethalia insula, cuius in litore calculi varii iaceant: ibique discos armaque, denique portum ab Argo dictum Argonautarum vestigia notare. Denique versus 912 seqq. enarrant Buten, Teleontis filium, in mare insiluisse, cum

1) Cf. Thuc. I 36 et 44. Xen. Hell. VI 2, 9. Diod. Sic. XII 54.
2) Quod explicavit Guentherus, l. c. pag. 47.

voces Sirenum audiret: eum autem per Venerem Erycis montis deam ex undis servatum esse, ut Lilybaeum incoleret.

In his heroum monumentis enumerandis poeta omnino e Timaeo pendet. De Aethalia iam verba feci neque me opus est rem actam agere. Tum de versibus 649—653 Geffckenius statuit aras in insulis Stoechadibus ad imitationem cultus Tyndaridarum exstructas esse quem Timaeus [1]) memorat: quae recte sensisse Geffckenius mihi videtur. Quoniam enim haec mentio sacrorum in Tyndaridas obiter tantum cum ceteris coniuncta est, non dubium est quin hic etiam poeta, ut numerum monumentorum augeret, copias Timaei adhibuerit. Denique fabulam de Eryce (912 seqq.) Veneris et Butae filio quae etiam apud Diodorum (IV 23, 83) reperitur apud Timaeum fuisse pro explorato haberi potest [2]).

Quae cum ita sint, lucide apparet, quod etiam verba Ἀργῴης περιώσια σήματα νηός profitentur, Apollonium per hanc carminis partem Timaeum presse secutum esse. Nunc quidem multo magis patet, cur Apollonius in erroribus Argonautarum depingendis haec de mari occidentali omittere non potuerit. Ibi enim scriptores Homerus et Timaeus, qui auctoritate multum valebant, praeclarissima Argonautarum monumenta monstrabant.

V.

DE TRIPLICI FLVVIO.

Quoniam de universa ratione quae in rebus geographicis inter Timaeum et Apollonium intercedit actum est, ad quaestionem paulo reconditiorem transeamus. Primum autem quo consilio ductus poeta iter per Eridanum et Rhodanum sibi finxerit, summa probabilitate enucleari potest. Scimus

1) Apud Diod. Sic. IV 56.
2) Rem excussit Bethius *Quaest. Diod. mythographae* pag. 35.

enim Timaeum talia non protulisse neque ille qui Argonautas per Histrum in Adriam navigasse putavit talia necessario fingere debebat. Immo in his plane apparet consilium eius qui se nulla praeclara heroum vestigia silentio praetermissurum esse profitetur. Habemus igitur in hac de Eridano et Rhodano fabula nequaquam veterem obscuramve rerum Argonauticarum memoriam, quae nisi a poeta retineretur, oblivione obruta esset. Immo nihil quidem sunt haec nisi artificia poetae, qui ita quasi vinculum inter duas carminis partes nectit. De fontibus horum tacent scholia, tacet etiam memoria litterarum, atque recentiores [1]) quicumque haec tangunt ab Apollonio pendent. Qui multa novavit, sed ita tantum, ut in suum usum quaedam antea nullo pacto ad fabulam Argonauticam pertinentia converteret. Haec paucis examinabo.

Tota narratio in versibus 592—658 continetur, quorum pars maxima fabulam de Phaethonte refert. His expositis, iter per Eridanum non amplius describitur. Tum Argo ad flumen Rhodanum pervenit qui cum Eridano iungitur. Rhodanus ab extremis terris, ubi portus et sedes Noctis sunt, ortum ducens, hic triplicem viam ingreditur aquasque in Oceanum et in mare Ionium et in sinum Sardoum mittit. Heroes huc progressi lacus Celtarum intrant qui exitum in Oceanum habent. Quam viam periculosam iniissent, nisi Iuno a scopulo Hercynio magna voce eos arcuisset. Quare viam repetentes per Celtas et Ligures usque ad mare Tyrrhenum cursum tenent. Sic fere Apollonius.

Ut iam videas qualis sit regionum species quam Apollonius animo conceperit initium a versu 630 capiendum est. Cum dixit fontes ab extremis terris prope portus et sedes Noctis esse, rem sibi ita finxit quasi Rhodanus ab ultimo occidente profectus, circa eam regionem ubi lacus Celtici siti sunt, in tres partes dividatur quarum una mare Tyrrhenum (est igitur Rhodanus) altera mare Ionium (id est

1) Apollodori Bibl., Tzetzes ad Lycophronem 175.

Eridanus vel Padus), tertia Oceanum petat. Hoc tertium bracchium, si Rhodanus ab occidente fluit, in Oceanum septemtrionalem descendere necessario concludimus. Atque lacus illi, in quos primo heroes cursum dirigunt, sunt quasi pars brachii tertii, ut etiam ex versibus 634 seq. patet.

Iam talis regionum facies quae nobis quidem mirifica et vana videtur, tamen pro somnio poetae minime est habenda. Vossius recte cum rei naturam tum poetae ingenium perspexit, cum negaret [1]) Apollonium rationem rerum geographicarum sui propriam, aequalibus autem inauditam ac ignotam propositurum fuisse. Immo latet notitia quaedam lacuum Helveticorum et Rheni fluminis [2]), obscura quidem et falsis permixta, attamen ad opiniones explorandas quae tum temporis de illis regionibus ferebantur, haud spernenda.

Ac primum quidem interdum etiam apud recentiores testimonia de locorum situ parum accurata invenimus, quae ad haec Apolloniana prope accedunt. Haec exempli gratia Appianus b. c. I 109 profert: ἀμφὶ ταῖς πηγαῖς τοῦ τε Ῥοδανοῦ καὶ Ἠριδανοῦ, οἳ ἀνίσχουσι μὲν ἐκ τῶν Ἀλπείων ὀρῶν οὐ μακρὰν ἀπ' ἀλλήλων κτε. Item scholiasta in Verg. Aen. 10, 708 dicit utrumque fluvium in uno monte fontes habere: *sane de hoc Vesulo quidam duo flumina Rhodanum et Padum nasci dicunt, quorum unus, id est Rhodanus, in Tyrrhenum mare alter, id est Padus, in Adriaticum fluit.* Haec igitur medium locum obtinere videntur inter Apollonium qui fontes communes accepit et Strabonem [3]) qui veram fluviorum rationem cognovit.

Tum de fontibus Rhodani et Rheni etiam inter Romanos diu remanebat ignorantia. De qua re Mommsenus in *Hermae* vol. XVI pag. 445 seqq. disseruit, demonstrans ipsum Iulium Caesarem eam Rhodani partem quae in lacum Lemannum influit pro Rheni initio habuisse. Nisus

1) J. H. Vossius *Kritische Blätter* II 390.

2) Cf. Bergerus *Gesch. der wiss. Erdkunde der Griechen* I 21.

3) IV 204.

est vir doctus his locis Commentariorum de Bello Gallico I 8, III 1, IV 10. Nam cum Caesar Rhenum per fines Nantuatium ferri dixerit (IV 10), plane ad eam gentem respicit qui regiones inter lacum Lemannum et summas Alpes incolit (III 1): videtur igitur ille hoc flumen quod in lacum influit, Rhodanum non appellasse (I 8) neque hoc ullo modo respexisse cum de Rhodano ageret: atque plane apparet Caesarem ipsum has regiones numquam visisse [1]). Denique ipse Strabo IV 207 ex uno lacu aquam in Histrum et in Adriam profluere tradidit. Quis sit lacus et qui fluvii propter memoriam verborum imperfectam inter viros doctos dissensio quaedam est. De sententia dubitare non licet. Vides ergo cum etiam Strabo in hoc genere peccaverit, quantum valuerit vetus error.

Iam certa mentio Rheni apud scriptorem ullum ante Apollonium non exstat. Eratosthenes enim utrum Rhenum commemorarit necne, non constat. Inter fragmenta geographica unum tantum quod ad hanc regionem spectat (apud Caesarem de Bello Gall. VI 24) est de Hercynia vel Orcynia silva. Tum descriptionem Rheni quam Ammianus Marcellinus XV 4, 3 seqq. habet ad Eratosthenem esse referendam recte Bergerus denegavit [2]). Nihil igitur superest quod certa ratione principi geographorum tribui possit. Itaque in tanta reliquiarum paucitate poetae gratiam habemus qui memoriam de his regionibus ut falsis permixtam ita veterem atque singularem prodiderit. Klausenus quidem etiam Hecataeo similia vindicare studet (Frag. 22), testimonio Avieni in vss. 680 seqq. [3]) Orae maritimae nisus. Quamobrem quam tabulam orbis terrarum ad opiniones Hecataei descripsit, sic conformavit. Tum Vossius [4]), item hos Avieni versus tractans, Aeschylo,

---

1) Cf. Mommsenum ibidem.

2) Erat. Frag. 361 seqq. Sic etiam Mommsenus *Hermae* vol. XVI pag. 621.

3) Apud Holderum.

4) *Krit. Blätter* II 390, 417.

Euripidi [1]), potissimum autem Timaeo hanc opinionem de triplici fluvio tribuit.

Sed verba Avieni nihil ad rem. In his enim

„rursum effluus
Arctansque sese fluminum ad formam, dehinc
Atlanticos in gurgites, nostrum in mare
Et occidentem contuens, evolvitur“,

haeremus in particula *et* [2]). Iam si de triplici vel quidem de duplici fluminis cursu ageretur, particulam post *gurgites* flagitares. Etiamtum res nondum in aperto esset. Muellenhoffius [3]) enim, versus Orae Maritimae 55 seq. 83 seq. 393 seqq. conferens, Avienum mare internum pro sinu Atlantici habere statuit. Denegat igitur vir doctus ullam omnino memoriam de Rhodano in duo maria aquas evolvente hic exstare. Rem amplius illustrare nequeo. Sed infirmius hoc esse fundamentum apparet quam quo freti ad Hecataeum Rheni et triplicis fluvii cognitionem referamus.

VI.

DE APSYRTO.

Quomodo Apollonius hanc primam reditus particulam composuerit et depinxerit, quod ad res geographicas attinet, iam satis tractatum est. Restat autem antequam ad novum procedimus, ut aliam quaestionem quae etiam huc pertinet, de Apsyrto Medeae fratre qui Argonautas persecutus ac denique dolo occisus est, instituamus. Ac primum quidem par est inquirere, quomodo Apollonius hanc fabulam in contextum suae narrationis inseruerit, tum quo consilio ductus hac in parte rem novaverit. Primum igitur quae de Apsyrto narrata sunt paucis percensebo.

---

1) Ne talia de Aeschylo et Euripide credas, adeas quaeso Knaackii *Quaest. Phaeth.* pag. 17.

2) Cf. A. Sonny *de Massiliensium rebus quaestiones* p. 61.

3) l. c. 196 seq., 194.

Prima mentio huius Aeetae filii libro tertio vss. 241 sqq. facta est. Poeta Iasonem filiis Phrixi duobusque sociis comitatum ad domicilium regis Colchorum accedentem facit; aedes unas multo splendidiores Aeetem eiusque coniugem habitare, alteras vero filium Apsyrtum quem ex Asterodia nympha Caucasia progenuerit, priusquam Idyiam Tethyos et Oceani filiam, uxorem duxisset [1]); eundem a Colchis Phaethontem appellari, quia omnibus praestiterit. Altero loco Apollonius filio Aeetae hoc nomen ipse indidit, sub finem libri tertii v. 1236 ubi splendor armaturae Colchorum regis depingitur. Rex armis fulgentibus indutus in currum escendit: escendit etiam Phaethon equorum rector. Tum in versibus 223 seqq. libri quarti legimus, aureo vellere iam rapto, Aeetam, quem Apsyrtus auriga comitetur, fugientes Argonautas persequi. Cum autem Argo, fluvio iam diu relicto, in mare cursum dirigeret, Aeetes Colchos statim navibus consectari iubet neque prius domum redire quam Medeam prehenderint. Horum Colchorum persequentium alteram partem ducit Apsyrtus, et Histro per Ostium Pulchrum intrato (303 seqq.) ante Argonautas in mare Ionium penetrat ostiumque hoc valida manu occupat. Argonautae autem qui sic Medeae causa in magno periculo versantur, istam Colchis dari iubent. Quod consilium ubi Medea comperit, ut a se casum tam miserabilem avertat, Iasoni lacrimis precibusque persuadet ut Apsyrtus fraude occidatur. Quae igitur Medeae mente ac consilio excogitata sunt, Apsyrto in insulam

1) Scholiasta qui versum 244 sic interpretatus est quasi de genere Asterodiae dictum esset, procul dubio erravit. Statim enim apparet in calce scholii, ut saepissime fit, opinionibus scriptorum quorundam de uxore et matre Aeetae iam allatis, explicationem versuum ipsorum esse additam. Quid vero Apollonius velit, non solum ratio grammatica sed etiam alia indicia docent. Quoniam enim Asterodia nympha Caucasia est, non est Oceani filia, neque poeta hac in re ab illustri Hesiodi genealogia distare voluerit, qui in Theog. vss. 352, 959 Idyiam filiam Oceani Tethyosque uxorem Aeetae Medeaeque matrem iam novit. Ergo non dubito quin scholiasta parum accurate procedens res diversas confuderit.

Dianae sacram allecto Iasonis manu conficiuntur. De sepultura ibidem facta poeta haec addit: 480 seq.

ὑγρὸν δ' ἐν γαίῃ κρύψεν νέκυν, ἔνθ' ἔτι νῦν περ
κείαται ὀστέα κεῖνα μετ' ἀνδράσιν 'Αψυρτεῦσιν.

Colchi autem duce amisso metuentes sine Medea ad Aeetem redire, in proximis insulis et oris Illyriae nova domicilia constituunt. Attendas quaeso poetae ipsa verba qui incolas insularum nomen Apsyrti accepisse monet: 514 seq.

οἱ μὲν ἐπ' αὐτάων νήσων ἔβαν, ᾗσιν ἐπέσχον
ἥρωες, ναίουσι δ' ἐπώνυμοι 'Αψύρτοιο.

Denique (ut nihil omittam) hoc nefas Iasonis et Medeae, in Apsyrtum commissum, in causa est cur Argonautae late vagantes ad insulam Circes, quae una paricidio obstrictos expiare possit, appellant.

Iam ante oculos habes quae Apollonius de Apsyrto protulit. Quae si in universum inspexeris, in haec duo maxime animum advertes. Nam quod Apsyrtus iam adultus Medeaeque maior natu est et in recessu septemtrionali Adriae occiditur, haec apud superiores, quoad saltem memoria litterarum nobis iudicium permittit, non reperiuntur. Primum est ad consilium poetae in his enucleandum, ut inquiramus quomodo poeta de Apsyrto fabulam ceteris intexuerit. Mea quidem sententia, quae Apollonio propria sunt minime ab hac parte intellegi possunt quod heroes ad paricidium expiandum Circen petunt. Nam pari iure poeta haec fingere poterat, si sicut superiores Apsyrtum infantem vel puerum in Colchide necatum narrasset. Neque quod Apsyrtus auriga comesque patris inducitur rem declarat et explicat. Hoc munere sane functus est Aeetae filius: tamen ita rem non attingimus. Quid tandem sibi vult iste auriga qui tantum commemoratur neque in rebus conficiendis quidquam valet? Immo poeta ipse in illis verbis supra citatis nos monet quo oculos intendamus. Nam Apsyrtus Apollonianus nihil omnino efficit nisi quod moriens et in insula sepultus causam nominis (quod Graeci αἴτιον vocabant) explicat. Ne dubium quidem est quin

poetae docto tale veriloquium maxime placuerit, atque hinc etiam apparet cur Apollonius reditum Argonautarum sic conformaverit ut via per Histrum in Adriam peteretur.

Nunc fortasse exspectas me statim longius progressurum et de Apollonii fontibus esse acturum. Quae via ut recta ita difficilis et obscura est. Mihi igitur persuasi neque a proposito alienum neque inutile esse eam viam ingredi ut totam litterarum memoriam quae huc pertinet percenseam ac disponam. Unde spero me quam maxime ad verum in tota causa examinanda accessurum esse.

Ac primum quidem etiam vetustis temporibus de Medeae fratre a sorore crudeliter necato fabula circumferebatur. Quare procul dubio a quo tempore homines fugam Medeae a patre patriaque enarrabant etiam foeda fratris caedes est pervulgata. Hesiodus sane quo vetustior auctor Medeam non commemoravit, in iis quae aetatem tulerunt, nihil de fratre habet. Hic autem in tantis reliquiis a conclusione ex silentio effecta nos contineamus. Inter auctores qui et Medeae fugam et fratris mortem rettulerunt, princeps est Pherecydes, qui, teste scholiasta in Ap. Rh. IV 223, 228 Medeam Iasone iubente parvum fratrem e lecto rapuisse et ad Argonautas tulisse tradidit: 'quos cum Colchi persequerentur, membra occisi et dispertiti pueri in flumen iecisse. Ex his efficitur facinus in Colchide esse factum et eo quidem consilio ut persecutio Aeetae retardaretur. Suspicor ex his Pherecydeis priscam et genuinam fabulae formam elucere. Frater enim in fabula vix suo iure exstabat, sed ea causa ut caedes eius moribus Medeae veneficae scelestae convenienter narrata hos mores maxime illustraret.

Tum scholiasta eodem loco quae fuerint apud Sophoclem docet. In duabus tragoediis, quibus tituli Κολχίδες et Σκύθαι erant, rem tetigit poeta; puerum qui alia matre ac Medea natus esset, domi Aeetae periisse. Quae in universum ab illis Pherecydeis non distant. Hactenus autem Sophocles diversa habet quod puer qui ex alia matre susceptus est domi navi nondum conscensa trucidatur.

Euripides rem obiter commemoravit, ter quidem ut nos certiores faciunt versus Medeae 167, 1334—1335 cum scholio in Medeam 167 collati: τοῦ Εὐριπίδου μήτε ἐνταῦθα μήτε ἐν τῷ Αἰγεῖ δηλώσαντος τὸν Ἄψυρτον ὀνομαστί. Cum hanc mentionem in fabula Αἰγεύς scholiasta ad versus Medeae

κτανοῦσα γὰρ δὴ σὸν κάσιν παρέστιον,
τὸ καλλίπρῳρον εἰσέβης Ἀργοῦς σκάφος

conferret, quam leviter Euripides rem perstrinxerit facile aestimaveris. Praeterea, si ex his paucis κτανοῦσα ... παρέστιον ... εἰσέβης ... aliquid effici potest, imaginem pueri domi Aeetae interfecti, sicut Sophocles sibi finxit, etiam Euripides ante oculos habuit. Tres igitur testes nobiles interrogavimus, qui etiamsi in singulis paulo distant, tamen in his consentiunt Medeam fratrem in Colchide interfecisse. Sed restat aliud magni quidem momenti, de quo hactenus tacui.

Si enim in his rebus investigandis omnia ex scholiis Apollonianis solis haurire necesse esset, conclusio de nomine huius fratris facillime praematura et imperfecta fieret. In scholiis enim ubicumque de Pherecyde et Sophocle agitur puer semper Apsyrtus vocatus est. Quod mirum non videtur, quoniam Apollonius, a quo in universum memoria vulgata pendet, hoc nomen praeoptavit. Apud posteriores igitur nomen Apsyrti adeo valebat, ut appellationes ceterae fere oblivioni darentur. Ad verum autem nos revocat adnotatio scholiastae in Eur. Med. 167, quam cum ad hanc disputationem valde pertineat, hic describam: Τιμαγίδας ... τὸν Ἄψυρτόν φησι λέγειν αὐτὴν, τοῦ Εὐριπίδου μήτε ἐνταῦθα μήτε ἐν τῷ Αἰγεῖ δηλώσαντος ὀνομαστί τὸν Ἄψυρτον· ὁ δὲ Φερεκύδης διὰ τοῦ Ξ ὀνομάζει αὐτόν. Δικαιογένης δὲ ἐν τῇ Μηδείᾳ Μεταπόντιον αὐτὸν ὀνομάζει. Pherecydes igitur non Apsyrtum sed Axyrtum novit: Euripides puero nomen proprium omnino non imposuit: Dicaeogenes, poeta tragicus saeculi ante Chr. quarti, qui fabulam Medeae condidit, puerum Metapontium appellavit.

Quae cum ita sint, res digna est quae accuratius investigetur, ut quae diversa diversi auctores habent distin-

guantur. Et primum Apollonius iis locis quos paulo ante enumeravi nomen Phaethontem retinuit (III 245, 1236). Explanat sane Colchos hoc cognomen addidisse quia Apsyrtus inter iuvenes praestantissimus fuerit. Revera autem nusquam per totum carmen praestantia ista elucet neque ulla causa ac ratio nominis apparet praeter studium illud doctrinae ostentandae, quod Apollonius semper et ubique prae se fert. Itaque non audax est conclusio hanc appellationem ea causa servatam esse quod superiores tradiderant. Accedit quod scholiasta aliud testimonium de hoc nomine praebet. Schol. Ap. Rh. III 1236 ὅτι ὁ Ἄψυρτος καὶ Φαέθων ἐκαλεῖτο, ὥς φησι Τιμῶναξ ἐν δευτέρῳ Σκυθικῶν [1]). Timonax qui fuerit et quando floruerit, certo non constat neque ulla memoria nisi in his scholiis ad nos pervenit. Haec autem pauca docent Timonactem duos saltem libros (cf. schol. III 1236) de rebus Scythicis edidisse et fabulam Argonauticam tetigisse (cf. schol. IV 1217). Ita quidem procedit (quod fragmentum nobile scholio ad IV 1217 intextum docet), ut ad terras describendas et nomina explicanda fabulas adhibeat. Et in fabula Argonautica tractanda viam propriam ingressus est, ut Iasonem Aeeta spondente Medeam in matrimonium duxisse referret. Quare memoria apud Timonactem in his quae ad res in Colchide gestas pertinent, a ratione non solum Apollonii sed etiam Pherecydis Sophoclis Euripidis plane distabat. Iam quae Timonax de hoc filio Aeetae protulerit, cum neque adulescentem fugientes Argonautas insectantem neque puerum crudeliter interfectum depingere potuerit, nescimus. Tantum dubio obnoxium non est, scriptorem rerum geographicarum qui ex Apollonio pendere vix potest nomen Phaethontem usurpasse.

1) Haec non significare Timonactem utrumqne nomen usurpasse ex genere dicendi in scholiis usitato satis apparet. In his enim ὅτι ὁ Ἄψυρτος καὶ Φαέθων ἐκαλεῖτο proprietas Apollonii constat. Comparatio verum quae verbis ὥς φησι instituta est, ad unum nomen Phaethontem spectat. Cur igitur Timonacti etiam nomen Ἄψυρτος tribuatur causa non exstat.

Quo nomine filius Aeetae apud Sophoclem vocatus sit, num nomen omnino tulerit, sane nescimus. Nam denego certo affirmari posse sola fide scholiorum in IV 223, 228 nomen Apsyrtum apud Sophoclem exstitisse. Contra mihi veri videtur simile Sophoclem filium Aeetae Phaethontem appellasse. Puerum enim ex Solis gente prognatum tale nomen tulisse aptissimum est. Atque testimonium Apollonii, qui hanc appellationem praeterire non vult, demonstrat etiam antea filium Aeetae esse Phaethontem vocatum. Maxime autem confirmant hanc coniecturam scholia Apolloniana in III 242, IV 223 cum Homeri Odyssea μ 132 seq. collata: III 242, ὁ τὰ Ναυπακτικὰ πεποιηκὼς Εὐρυλύτην αὐτὴν λέγει· Διονύσιος δὲ ὁ Μιλήσιος Ἑκάτην μητέρα Μηδείας καὶ Κίρκης, ὡς προείρηται, Σοφοκλῆς [δὲ] Νέαιραν, μίαν τῶν Νηρηίδων, Ἡσίοδος δὲ Ἰδυῖαν κτε.

IV 223, ἐν δὲ τοῖς Σκύθαις ὁ Σοφοκλῆς ἑτερομήτορα τῆς Μηδείας τὸν Ἄψυρτον λέγει· οὐ γὰρ ἐκ μιᾶς κοίτης ἔβλαστον, ἀλλ' ὁ μὲν Νηρηίδος τέκνον ἄρτι βλάστεσκεν ἦν (sic Laur. βλαστάνεσκε τὴν δ' Flor. Par.) Εἰδυῖα πρίν ποτ' Ὠκεανοῦ κόρη τίκτεν. Od. μ 132 seq. Φαέθουσά τε Λαμπετίη τε,

ἃς τέκεν Ἠελίῳ Ὑπερίονι δῖα Νέαιρα.

Plane confusum est primum scholium (III 242). Nam cum poeta in versibus qui explicantur duas Aeetae uxores commemoraverit, exspectamus commentatorem eandem distinctionem ante oculos habere. Pergit ille quasi de nympha Caucasia, Apsyrti matre, exponens: ὁ τὰ Ναυπακτικὰ πεποιηκὼς Εὐρυλύτην αὐτὴν λέγει. Iam de Eurylyta ex scholiis IV 86 plura comperimus, unde patet eam, quo tempore expeditio Argonautica fiebat, Aeetae uxorem fuisse. De altera coniuge in Naupacticis commemorata nihil omnino scimus. Ergo hoc scholium, quod primo docere videbatur Eurylytam carmine Naupactio isti Asterodeae respondere, minime ad talia comprobanda valere potest. Sed statim in sequentibus dilucide apparet in quo scholiorum genere versemur. Διονύσιος δὲ ὁ Μιλήσιος Ἑκάτην μητέρα Μηδείας καὶ Κίρκης κτε. Iam pro certo haberi potest Dionysium Milesium illum fuisse cui Diodorus Siculus in rebus

Argonauticis enarrandis multa debet [1]). Confer igitur Diod. IV 45, ubi haec leguntur: μετὰ δὲ ταῦτα συνοικήσασαν (i. e. Ἑκάτην) Αἰήτῃ γεννῆσαι δύο θυγατέρας, Κίρκην τε καὶ Μήδειαν, ἔτι δ' υἱὸν Αἰγιαλέα. Dionysius igitur tradit ex una matre Hecate omnes esse susceptos. Quid igitur? Nunc concludere licet quod iam ex his de carmine Naupactio elucebat, scholiastam rem neglegenter tractasse neque omnino id respexisse quod primo obtutu maxime respicere videtur. Revera de duabus Aeetae uxoribus ne cogitavit quidem, neque vestigia Apollonii pressit qui alia matre Apsyrtum, alia Medeam natum esse dicit. Immo varias ex diversis fontibus sententias de nomine Aeetae coniugis composuit et ad hunc versum illustrandum adscripsit.

Itaque ex his Σοφοκλῆς [δὲ] Νέαιραν μίαν τῶν Νηρηΐδων nihil praeter nomen Neaeram comperimus: utrum autem illa Apsyrti an Medeae mater fuerit, adhuc incertum est [2]). Tollit autem ut mihi videtur hanc dubitationem scholium in IV 223. Sed primum pedem sistamus et locum difficultatum plenum propius inspiciamus. Numerorum ratio quomodo restituenda sit, quaerere nolo. Ad propositum enim satis erit, si recensionem verborum paucis tetigero. In scholiis Laurentianis legitur βλάστεσκεν ἣν: Florentina autem et Parisina in scriptura βλαστάνεσκε τὴν δ' proferenda consentiunt. Mittamus iudicium inter βλάστεσκε et βλαστάνεσκε, nam totius rei quasi cardo est quaestio inter ἣν et τὴν δ'.

Iam quod ad fundamentum criticum in scholiis recensendis attinet, alio loco demonstrare conatus sum hos qui vulgo deteriores fontes appellantur haud spernendos esse. Disceptandum igitur est inter has duas scripturas utra melior sit. In universum sententia minime incerta est, natos Aeetae eadem matre non susceptos, filium quidem

---

1) Cf. Bethium *Quaest. Diodoreae mythographae* pag. 13.

2) Sic Nauckius *Trag. Gr. Frag.*: *Quae dubitari potest utrum de Apsyrti an Medeae matre intellegenda sint.*

ex Nereide procreatum esse. Si scripturam Laurentianam (ἥν) ponimus, tum poeta in sequentibus unde nata sit illa Nereis explicat. Si contra alteram verborum memoriam praeoptamus (τήν δ'), tum Idyia mater Medeae appellatur. Mihi quidem adverbia ἄρτι, πρίν scripturam τήν δ' maxime confirmare videntur[1]). Particulae enim quamnam vim habeant nisi quod distinctionem et quasi oppositionem temporum indicent, haud perspicio. Sic optime poeta puerum natu minorem, Medeam adultam esse, monstrat. Contra, parum apte adiuncta essent temporalia atque otiosa, si in verbis nihil est nisi una sententia filium ex Nereide, Nereidem autem ex Idyia procreatam esse.

Iam ad illam inter scholia et Homerum comparationem revertamus. Hoc scholium Σοφοκλῆς Νέαιραν μίαν τῶν Νηρηίδων cum altero ἀλλ' ὁ μὲν Νηρηίδος βλάστεσκεν ita componere licet ut in dubio esse non possit quin apud Sophoclem Neaera mater Aeetae filii fuerit. At apud Homerum Neaera Phaethusam peperit. Si mater Phaethusae est, cur non etiam Phaethontis? Vis argumenti in eo potissimum inest quod Neaera aut ex Sole aut ex Solis filio liberos peperit. Sed de Sophocle satis.

Nunc ad istam nominis differentiam unde huc digressi sumus, revertamur. Vidimus filium Aeetae modo nomen Apsyrtum aut Axyrtum, modo Phaethontem, tum Metapontium, denique nomen nullum tulisse. Sed alia memoria eaque satis vetusta, exstat. Primum Diodorus, loco paulo ante citato (IV 45), non solum Circen Medeamque sed etiam filium Aeetae, qui nomen Aegialeum tulerit, Hecaten peperisse tradit. Tum Cicero in libro de Natura Deorum (3, 48) sic scripsit: *quid Medeae respondebis, quae duobus avis, Sole et Oceano, Aeeta patre, matre Idyia procreata est? Quid hu-*

---

1) Th. Bergkius, qui verba in versus iambicos redigere conatus est, *Index lect. Marb.* 1843, τὴν δ' recepit, quod aliter fieri non potuit, quoniam scholia Laurentiana nondum divulgata erant. Nauckius in fragmentis recensendis Laurentiani auctoritati oboediens, ἥν posuit, ita tamen ut alteram scripturam commemoraret et secunda cura haud spernere videretur.

ius Absyrti fratri, qui est apud Pacuvium Aegialeus? Sed illud nomen veterum literis usitatius. Itaque unum nomen Aegialeum proferebant Dionysius Milesius vel Scytobrachion et Pacuvius. Tertius est Iustinus, Trogi Pompei historiae epitomator, qui de Iasone haec tradidit (42, 3, 1): *et filiam eius abduxerat et filium Aegialeum interfecerat.*

Hac tanta nominum varietate iam ante oculos posita multo magis liquet quod paulo ante de iis enuntiavi. Nam nomen pueri qui crudeliter a sorore dilaniatur, primo minoris momenti fuisse, vix denegaveris. Atque cum prisca et vetusta fabula aut hoc aut illud nomen admitteret aut nomen omnino tacere posset, non mirum est quod scriptores inter se differebant, neque quod nomen, quando additum est, cum appellatione regionis cuiuspiam coniungebatur. Optima enim occasio nominis barbari explicandi ita dabatur. Et primum urbs Tomi in oris Ponti Euxini occidentalibus sita, vulgi sermone eo loco collocata est ubi Aeetes disiecta filii membra sepelivit[1]). Hic habes narratiunculam, in qua puer et nomine caret atque causam nominis praebet. Cetera quidem nomina, quamquam hanc opinionem exemplis confirmare nequeo, non dubito quin eodem studio veriloquia excogitandi explicari possint. De Metapontio iam egit Welckerus *Gr. Trag. pag. 1045.* Etiam Aegialeus qui est *litoralis* huc spectat[2]). Sed in hoc genere princeps est Apollonius qui Apsyrti mortem in sinum Adriaticum transtulit. Antequam autem ad quaestionem de fontibus aggredior, restat illud de nomine Apsyrto unde natum sit. Nam supra vidimus nulla certa ratione hoc scriptoribus vetustioribus tribui posse.

Knaackius quidem *Quaest. Phaet. pagg. 15—16* Ἄψυρτος a nomine barbaro Ἄψαρος formatum esse statuit, auctori-

---

1) cf. Apollodori Bibl. I 132 (Wag.). Steph. Byz. s. v. Τομεύς. Ovidii Trist. III 9, 33.

2) Quod nomen neque Pacuvium neque poetam tragicum quem sequitur confinxisse eo apparet quod veluti Ἀντιγόνη Οἰδιπόδης multaque alia parum in trimetrum, optime in hexametrum convenit. Fieri igitur potest ut haec appellatio ad carmen epicum redeat et pervetusta sit.

tate Arriani Peripl. Pont. Eux. c. 7 potissimum ut videtur ductus. ὁ δὲ Ἄψαρος, τὸ χωρίον λέγουσι ὅτι Ἄψυρτος ἐκαλεῖτο πάλαι ποτέ· ἐνταῦθα γὰρ τὸν Ἄψυρτον ὑπὸ τῆς Μηδείας ἀποθανεῖν· καὶ τάφος Ἀψύρτου δείκνυται. Ἔπειτα διαφθαρῆναι τὸ ὄνομα ὑπὸ τῶν περιοίκων βαρβάρων καθάπερ καὶ ἄλλα πολλὰ διέφθαρται. Tum Steph. Byz. s. v. Ἀψυρτίδες· ἔστι καὶ τόπος ἐν τῷ Εὐξείνῳ πόντῳ Ἄψαρος, Ἄψυρτος πρότερον λεγόμενος. Quibus testimoniis si fidem damus, nomen Apsyrtum et vetustum et in regionibus Ponticis ortum esse efficitur. Sed vereor ut haec explicatio defendi possit. Nam Arrianus res duas valde dissimiles composuit. Multo quidem graviora sunt haec de nomine quam illa appellationis causa. Nunc quod ad Apsari vocem attinet, haud paulum adiuvat Scylax, qui in regionibus circa Phasin percensendis idem nomen rettulit c. 80 ἐνταῦθά ἐστι Ἶρις ποταμὸς, Ἄψαρος ποταμός. Exstabat igitur nomen Apsarus iam saeculo ante Christum quarto fluvio non procul a Colchide tributum. Quae cum ita sint, opinio vel Arriani vel geographi quem sequitur, qui Apsyrtum appellationem priscam postea a barbaris in Apsarum corruptam esse asseverat, haud probabilis videtur. Ut concedamus incolas sepulcrum Apsyrti ostendisse, ita ratio rei explicandae quae apud veteres in talibus nimis credulos valebat minime probatur. Censeo igitur pristinum ac vetustum nomen Apsarum fuisse, quod temporibus recentibus cum fabula de Apsyrti morte coniungebatur. Itaque haec mentio nominis ad rem declarandam nihil proficit, neque ullum omnino exemplum ante Apollonii aetatem nisi apud Lycophronem inveni, vs. 811 Γλαύκωνος Ἀψύρτοιό τ' αὐτανεψίας· Agitur de Cassiphone, Ulixis et Circes filia, quae fratrem Telemachum occidit. Cassiphone quae Solem avum habuit, est Apsyrti et Glauconis, qui item genus ex Sole ducunt, consobrina. Hac brevi mentione facta poeta tacet. Sed consensus inter Lycophronem et Apollonium suspicionem hanc nominis formam in mari Adria ortam esse movet. Quanta enim Lycophro Timaeo et aliis scriptoribus qui potissimum de rebus et fabulis ad Italiam Adriam mare Tyrrhenum per-

tinentibus egerunt deberet, Guentherus acumine et diligentia exposuit.

In fontibus Apollonii exquirendis haud scio an longius procedere non possimus. Rem vero si non in singulis depingere, at quasi lineis extremis designare posse mihi videor. Nam primum nulla memória nominis Apsyrti Apollonio multo vetustior suppeditat; tum insulae Apsyrtides, quae causam nominis praebuerunt, in intima Adria revera exstiterunt, neque probabilis ea ratio videtur ut insularum appellatio recentior habeatur, sed contraria potius. Quamobrem haec narratiuncula de Apsyrto non ex illa fabularum copia quae in Ponto et circa Propontidem orta sunt sed ex his parum notis et divulgatis profluxit, quae ad regiones occidentales spectant.

VII.

DE APOLLODORI BIBLIOTHECAE LIBRO I 132—138 ET HYGINI FABVLA XXIII.

Quorum auctoritatem Apollonius in iis quae sunt de Argonautis et Colchis in Adria errantibus amplexus sit, nondum satis compertum est neque in tanta subsidiorum inopia aut incitamentum ad industriam aut spem fructus laboris capiendi inveneris. Fieri sane potest ut recentiores qui de Argonauticis egerint, memoriam aliquam Apollonio vetustiorem et fortasse ab illo in suos libros receptam praebeant. Atque revera ab hac parte rem aggreditur Wernicke [1]) cum contendat harum rerum versiones exstitisse duas, quarum unam Apollonius in universum secutus sit, altera in Hygini fabula XXIII reperiatur; Apollonium autem etiam hanc respexisse.

Iam quaestio statim se offert quatenus Apollonius memoriam litterarum apud posteriores quasi definierit ac constituerit, quatenus alia praevaluerint. Quibus de rebus in

1) Pauly et Wissowa *Real.-Enc.* s. v. *Apsyrtus.*

universum ne verbo quidem opus est. Sed in singulis quaestio versatur, praesertim cum Wernicke in fabula Hygini XXIII memoriam Apollonio vel vetustiorem exstare statuerit.

Primum autem totam materiam ante oculos proponam. Habemus nonnulla in Apollodori Bibliotheca, tum Hygini fabulam unam, deinde Orphei (quem vocamus) Argonautica, denique apud diversos singula. Et primum quae Plinius N. H. III 151, Strabo VII 315, Steph. Byz. s. v. Ἀψυρτίδες habent, ex Apollonio plane pendent, neque aliter de Orphicis iudicandum est. Quomodo Valerius Flaccus rem formaverit, ex illis quae supersunt non satis apparet. Sed de fonte Apollonio vetustiore in eis quae de Apsyrto protulit, ne cogitare quidem licet. Paulo aliter in Bibliotheca res se habet. Quamquam plurima quae de Argonautis sunt ex Apollonio profluxerunt [1]), tamen etiam alia memoria hic subest.' Sub finem enim cap. 132 novum incipit ab his verbis: συνείπετο δὲ αὐτῇ καὶ ὁ ἀδελφὸς Ἄψυρτος. Tum narratur Medeam ut patrem persequentem retardaret, fratrem trucidasse et membra dissipasse; quo factum esse ut Aeetes a persecutione desistens membris filii collectis et in sepulcro conditis regionem Tomos appellaret. Enuntiatio quae sequitur (cap. 133 sub f.) πολλοὺς δὲ τῶν Κόλχων κτε. fere ipsa Apollonii verba (IV 231 seqq.) reddit. Tum paucis (capp. 134-136) congesta sunt ea quae Apollonius versibus pluribus quam quingentis expressit. Mentio itineris per Histrum omnino non fit neque amisso carmine Apolloniano quomodo via in mare Sardoum facta esset intellegeremus. Ubique quidem apparent vestigia alicuius qui in rebus maxime geographicis narrationem uberiorem dedita opera contraxit. Sed ne opineris haec aliunde desumpta esse, observes quanta diligentia ordo ac progressus rerum retineantur, cum deinceps de ira Iovis, de Celtis et Liguribus, de Circe, de reliquo usque ad Phaeaciam itinere agatur. Accedit quod morte Apsyrti alio modo narrata

1) Quod iamdiu perspexit et demonstravit Robertus.

omnia quae Apollonius de caede eius in insula profert necessario omittuntur. Atque cum illa de Colchis in insulis circa Illyriam et Ceraunios montes domicilia collocantibus compilator praetermittere nollet, rem tam breviter comprehendit [1]) ut oratio parum accurate verbis Apollonianis respondeat. Sunt igitur in his quae de reditu heroum afferuntur sane varia ac dissimilia, sed adeo in unum redacta ut totius narrationis fundamentum carmen Apollonianum fuerit. Illud alterum de Apsyrto Tomis sepulto haud probabile est poetae nobili vel tragico vel elegiaco tribui posse, cum solum veriloquium oppidi respiciat. De quibus utut iudicas, nihil ad Apollonii fontes aperiendos efficitur.

Iam ad Hygini fabulam 23 aggrediamur, in qua multis in rebus mirus cum Apollonianis consensus est. Appellunt enim naves cum fugientium tum persequentium ad Alcinoi urbem, qui arbiter litis constituitur. Tum Aretae calliditate nuptiis Iasonis et Medeae occulte effectis, Alcinous proximo die Medeam Colchis non esse tradendam diiudicat. Sed narratio Hygini eo discrepat quod Apsyrtus dux Colchorum arbitrio regis neglecto Argonautas usque ad Minervae insulam insectatur ibique interficitur. Deinde cum Apollonius duos Cochorum exercitus, quorum alterius dux Apsyrtus est, et iter per Histrum factum habeat, compilator fabulae unum exercitum, cui Apsyrtus praeest, novit neque quidquam de reditus ratione profert. Quaerimus igitur utrum in his forma fabulae ceteroquin ignota lateat, vel fortasse ut Welckerus coniecit [2]) argumentum tragoediae cuiuspiam, utique memoria Apollonio quidem vetustior, an contra excerpta a grammatico facta quae nullum alium fontem atque carmen Apollonianum habeant. Sed res non tam recondita est ut nos diu vexet, quoniam ex indiciis quae verba ipsa suppeditant, compilatorem praeter

1) In his τῶν δὲ Κόλχων τὴν ναῦν εὑρεῖν μὴ δυναμένων οἱ μὲν τοῖς Κεραυνίοις ὄρεσι παρῴκησαν, οἱ δὲ εἰς τὴν Ἰλλυρίδα κομισθέντες ἔκτισαν Ἀψυρτίδας νήσους κτε.

2) Gr. Trag. 339 seq.

Apollonium scriptorem ullum adhibuisse iure denegari potest. Primum autem monendum est plurima quae in his fabulis de Argonautis tradita sunt procul dubio, ita ut in Bibliotheca Apollodori, ex carmine Apollonii manasse. Cuius rei exemplo sunt quae de Hyla rapto, de Tiphye et Idmone apud Lycum, Eribote et Cantho in Libya morientibus (fab. 14) relata sunt, tum potissimum fab. 16, 17, 18, 20, 21, 22. Deinde fab. 23 etiam in singulis vestigia poetae aperit. Conferas ibidem *se iudicem sumptum a duabus diversis civitatibus, inter Colchos et Argivos* cum Argonauticis IV 1074 seqq. Sed fortasse interrogabis qui explicandum sit quod in nonnullis distent compilator et poeta. Credo etiam hoc non esse inexplicabile. Nam animadvertimus compilatorem historiam de itinere per Histrum facto prorsus neglexisse: eandem conditor Bibliothecae silentio praetermisit, tamen vestigia pristinae narrationis non penitus delevit. Opinionem diu pervulgatam de Histro etiam Adriam petente his recentibus temporibus quibus Hygini fabulae ortae sunt, esse abiectam, satis constat. Si igitur animo informamus grammaticum discipulis historiam narrare voluisse ita ut et Apollonium sequeretur et veritati tunc temporis vel pueris notae satis faceret, aliter vix poterat rem instituere atque factum videmus in fabula Hygini. Itaque mirifica eorum opinione supersedemus qui scriptorem aliquem Apollonio superiorem ea quae Hygini propria sunt protulisse contendunt. Nam quod Argonautae Corcyra relicta ad septemtriones cursum dirigunt prorsus mirabile est, neque alibi reperitur neque causam ac rationem ullam habet. Qualia cum apud Hyginum revera tradantur, iudicandum est ingenio magis compilatoris quam poetae nobilis deberi. Vides igitur nos ne ex his quidem de Apollonii fontibus quidquam comperiri posse.

VIII.

DE SCHOLIIS RECENSENDIS.

Cum disputatio mea haud raro in scholiis interpretandis versata sit, quaestio saepius se obtulit quid verum recensionis fundamentum esset. Gravis quidem est quaestio neque sperare audeo me rem statim ad finem perducere posse. Sed tamen nonnulla exempla composui quae ostendant rem aliter se habere ac viri docti Keiliana editione confidentes fere credunt. Ut primum manifestum fiat qualis sit quaestio, paucis de scholiorum memoria agam. Anno saeculi XV. nonagesimo sexto Florentiae primum typis expressa sunt Argonautica Apollonii cum scholiis, quam editionem curavit Ioannes Lascaris. Saeculo sequenti Henricus Stephanus editionem scholiis ex hoc fonte adiectis protulit. Haec igitur scholia diu circumferebantur neque alius fons cognitus erat. Tum Ruhnkenius e codice Parisino 2727 varias quasdam lectiones enotavit tota huius codicis memoria nondum edita. Apographum integrum scholiorum Parisinorum primus Schaeferus in nova cura editionis Brunckianae publici iuris fecit[1]). A quo tempore viri docti duabus scholiorum recensionibus utebantur. Denique anno huius saeculi LIV. Henricus Keil codice Laurentiano XXXII 9 diligenter collato scholia denuo edidit, ea autem ratione usus ut testimonio editionis Florentinae et codicis Parisini prorsus abiecto, fundamentum unum recensionis codicem Laurentianum poneret. Sibi enim persuasit *unum omnium fontem exstare Laurentianum codicem XXXII 9 neque alio praeterea libro horum scholiorum memoriam ad nostram aetatem propagatam esse*[2]); Florentina quidem et Parisina communem fontem habere, qui vero non sit ipse Laurentianus sed apographum quoddam valde interpolatum[3]); nihil

1) Lipsiae 1813.
2) Praefationis pag. 299.
3) cf. ibidem p. 300.

igitur novi in Florentinis et Parisinis exstare praeter recentia nullaque omnino fide digna.

Ex his igitur quae Keilius in praefatione editionis uberius exposuit stemma sic constituas:

Laur.

Flor. Par.

Et tanta quidem fuit eius auctoritas vel potius tanta est codicis Laurentiani praestantia, ut ceteris posthabitis viri docti hunc solum librum in scholiis usurpandis evolvere soleant.

Sed tamen Keilii sententia fundamentem recensionis in uno Laurentiano positum esse interdum oppugnabatur, ut videbis si Bergkii adnotationes velut ad Pindari fgm. 167, Wilamowitzii Heraclem[2] II 132 adn., Luetkii Pherecydea pag. 35 adn. 3 inspexeris. Cum igitur mihi ob eam causam plerumque Laurentiana cum Parisinis et Florentinis conferenti, eadem dubitatio se obtulerit, par est ut Laurentianum non esse solum fontem scholiorum paucis exemplis confirmem.

Ac primum quidem in multis reddendis quae in Laurentiano desunt Florentina et Parisina consentire, Keilium minime fugit. Denegavit autem talia ullius momenti esse aut ex memoria scholiorum vetere profluxisse. Illa exempla (praef. pag. 300) quibus opinionem corroborare studebat, sane ad persuasionem aptissima sunt. Sed vana est argumentatio viri docti eo quod ista exempla nequaquam ad veram rei imaginem animo reddendam sufficiunt. Sunt enim diversitates haud paucae quae notam neque interpolatoris neque aetatis recentioris prae se ferunt. Cum igitur Keilius Laurentianum memoriae reliquorum scholiorum esse parentem posuerit, locos aliquot ubi Florentina et Parisina recensionem ostendunt et pleniorem et meliorem afferam. Primum memoriam duplicem scholiorum ad IV 308 inspiciamus:

Laur.

τὸ Ἰόνιον πέλαγος τῆς Ἰταλίας εἰς ὃ ἐκδίδωσιν ὁ Ἀδρίας· διὸ καί τινες αὐτὸ Ἀδρίαν ὀνομάζουσιν. ὠνομάσθη δὲ ἀπὸ Ἰονίου τὸ γένος Ἰλλυρίου, ὥς φησιν Θεόπομπος ἐν εἰκοστῷ πρώτῳ. Ἰόνιον πέλαγος πρὸς τῇ Ἰταλίᾳ οὕτω καλούμενον. τινὲς δὲ ἀπὸ τῆς γενομένης πλάνης τῇ Ἰοῖ.

Flor.

τὸ Ἰόνιον πέλαγος τῆς Ἰταλίας εἰς ὃ ἐκδίδωσιν ὁ Ἀδρίας· διὸ καί τινες αὐτὸ Ἀδρίαν ὀνομάζουσιν κατὰ μετάδοσιν τοῦ ὀνόματος· ἐπεὶ γὰρ συνάπτει ὁ Ἀδρίας τῷ Ἰονίῳ, διὰ τοῦτο ποτὲ μὲν τὸν Ἀδρίαν Ἰόνιον, ποτὲ δὲ τὸν Ἰόνιον Ἀδρίαν καλοῦσιν· ὠνομάσθη δὲ ἀπὸ Ἰονίου τὸ γένος Ἰλλυρίου, ὥς φησι Θεόπομπος ἐν εἰκοστῷ πρώτῳ. Ἰόνιον πέλαγος πρὸς τῇ Ἰταλίᾳ οὕτω καλούμενον ἀπὸ Ἰονίου, ἀνδρὸς Ἰλλυρίου· τινὲς δέ, ἀπὸ τῆς γενομένης πλάνης τῇ Ἰοῖ.

Utrumcumque testem audis, duas adnotationes in unum coniunctas habes. Bis enim de mari Ionio agitur, ubi situm sit, cur hanc appellationem ferat. Unde a verbis Ἰόνιον πέλαγος πρὸς τῇ Ἰταλίᾳ κτε. aliquid novi incipere quod ab antecedentibus non pendeat, ex ipsa verborum sententia concludere licet, atque illud Ἰόνιον πέλαγος, sine ulla particula positum, eadem denuntiat. Quae cum ita sint, mihi facile concedes integram memoriam in Florentinis servari. Nam haec altera scholii pars duo veriloquia profert, ut verba τινὲς δέ, quae etiam Laurentiano servata sunt, maxime declarant. Is qui scholia Laurentiana confecit, cum paulo ante primam nominis explicationem legeret, verborum contextum adeo decurtavit ut sine ope libri Florentini pristinam orationem vix quisquam cogniturus fuerit.

Tum confer scholia ad IV 611.

Laur.

οἱ Κελτοὶ ἐφήμισαν τὸ ἤλεκτρον εἶναι μὴ τῶν Ἡλιάδων, ἀλλὰ δάκρυον εἶναι Ἀπόλλωνος, ἡνίκα ὑπὸ Διὸς ἐκελεύσθη θητεύειν ἐπὶ τῷ φόνῳ τοῦ Ἀσκληπιοῦ καὶ

Flor.

οἱ Κελτοὶ ἐφημίσαν τὸ ἤλεκτρον εἶναι μὴ τῶν Ἡλιάδων, ἀλλὰ δάκρυον εἶναι Ἀπόλλωνος, ἡνίκα διὰ τὸν Ἀσκληπιοῦ θάνατον ἀνιαθεὶς εἰς τοὺς Ὑπερβορέους ἀφι-

τῷ τῶν Κυκλώπων.

κετο διὰ τὴν τοῦ πατρὸς ἐπιτίμησιν· ἢ ὅτε ἐκελεύσθη θητεύειν ἐπὶ τῷ φόνῳ τῶν Κυκλώπων.

Parisinus quoque uberius scholium habet, in singulis vocibus discrepans.

Iam plane confusum est scholium Laurentianum. Ne verba quidem poetae accurate exprimuntur neque res duae quae inter se differunt recte distinguuntur. Unum enim est fabulosa Celtarum historia quam Apollonius nescio e quo fonte petierit: alterum autem est istud de Apolline propter Cyclopas interfectos apud Admetum serviente (cf. schol. in Eur. Alc. 1). Enucleate et aptissime Florentina rem exprimunt, quae praestantia interpolatori haud probabiliter tribui potest.

Sub finem scholii in IV 280 Flor. et Par. haec habent: οἱ δὲ ἀκριβέστεροι, ἄξονας μὲν τετραγώνους λίθους· κύρβεις δὲ τριγώνους. Ἐν ἀμφοτέροις δὲ νόμοι ἦσαν γεγραμμένοι Ἀθήνησι.

Ad finem scholii in IV 627 Flor. et Par. addunt τῇ δὲ εἰς τὸ Σαρδόνιον πέλαγος. Quae verba etiamsi e carmine orta esse possunt, tamen necessaria et procul dubio pristini verborum contextus sunt.

IV 984. Complura declarant scholia Florentina hic praestare. Et primum vides in Laurentiano nonnulla post nomen Scheriae explicatum intercidisse (apud Keilium pag. 512, 26). Quae enim secuntur in causa nominis Drepanae exponenda versantur. Sic igitur ex Florentinis lacuna explenda est: Δρεπάνη δὲ ἐκαλεῖτο κτε. Tum paulo infra Laurentianus Timaeo haec tribuit: Τίμαιος δέ φησιν, ᾧ ἐξέτεμεν τοῦ Οὐρανοῦ ἢ τοῦ Κρόνου τὰ αἰδοῖα ὁ Ζεύς, τοῦτο κεκρύφθαι. Hesiodus primus (*Theog.* 164 seqq.) Caelum a Saturno exsectum esse narravit. Ecquis autem tradidit Caelo vim adhibuisse Iovem? Multo meliora in Florentinis invenis: Τίμαιος δὲ ἐκ τοῦ δρεπάνου ᾧ ἐξέτεμεν τοῦ Οὐρανοῦ τὰ αἰδοῖα ὁ Κρόνος, ἢ ὁ Ζεὺς τὰ τοῦ Κρόνου. Τοῦτο γὰρ αὐτοῦ κεκρύφθαι φησί. Exstabant duae fabulae, una quae est apud Hesiodum et bene nota, altera multo obscurior.

Porphyrius *de Antro Nympharum Cap. XVI* ipsis verbis Theogoniae Orphicae allatis Iovem Saturnum ope Terrae consopitum exsecuisse tradidit. Adde etiam Aristidis testimonium I 35 Dind. Lobeckius *Aglaoph.* I 516 qui una scholia Florentina ante oculos habuit, Timaeum utramque fabulam respexisse recte iudicavit. Sub finem haec in Florentinis leguntur: Μάκρις δὲ ὠνομάσθη ἀπὸ Μάκριδος τῆς Διονύσου τροφοῦ· Κέρκυρα ἀπὸ Κερκύρας τῆς Ἀσωποῦ θυγατρός. Sic in Parisinis: Μάκριν δὲ ἀπὸ Κερκύρας τῆς Ἀσωποῦ θυγατρός.

Haec ex Apollonio non esse repetita eo apparet quod ipse in versu huius libri 566 hanc causam nominis insulae Corcyrae Nigrae protulit. Vide autem Hellanici testimonium apud Steph. Byz. s. v. Φαίαξ. Ἑλλάνικος Ἱερειῶν α'· Φαίαξ ὁ Ποσειδῶνος καὶ Κερκύρας τῆς Ἀσωπίδος, ἀφ' ἧς ἡ νῆσος Κέρκυρα ἐκλήθη, τὸ πρὶν Δρεπάνη τε καὶ Σχερία κληθεῖσα. cf. etiam Diod. Sic. IV 72. Paus. II 5, 2, V 22, 6. Haec igitur pristinis scholiis vindicaverim.

IV 1216.

Laur.	Flor.
.... ἀπόγονον τῶν Βακχιαδῶν, κατῳκηκέναι τὴν νῆσον.	.... ἀπόγονον τῶν Βακχιαδῶν, εἴτε ἐκπεσόντα τῆς Κορίνθου εἴτε καὶ ἑκόντα ἀπελθεῖν [1]) διὰ ἀτιμίαν καὶ κατῳκηκέναι τὴν νῆσον.

Quaestio quidem gravis est cum ad Timaei sententiam pertineat. Vides Florentina et Parisina ut verbis discrepare ita Laurentianum non esse fontem communem monstrare. Tum observes quaeso sententiam quam Laurentianus unus sub finem scholii retinuit: ἔστι δὲ ὁ τὴν ἀποικίαν κτε [2]). Elucet igitur neque Laurentianum neque ceteros

1) Paris. ἀπελθόντα διὰ τὸ ἠτιμῶσθαι, ᾠκηκέναι κτε.

2) Quae sententia non intellego quo iure ad Timaeum referri possit. Nam ea quae antecedunt Κόλχοι δὲ διαβάντες κτε. nihil nisi Apollonii sententiam reddere videntur. Keilius tamen omnia quasi arte coniungenda et ipsius Timaei verba signis inclusit: sed perperam. Neque credo Muellerum iure haec inter Timaei verba recepisse. (*Fr. Hist. Graec.* I frag. 53).

ubique integram memoriam praebere, sed modo illum modo hos fide digniores esse.

IV 1217.

Laur.

. . . . Τίμαιος περὶ τῆς θυσίας ἱστορεῖ ἔτι καὶ νῦν λέγων ἄγεσθαι κατ' ἐνιαυτόν, Μηδείας πρῶτον θυσάσης ἐν τῷ Ἀπόλλωνος ἱερῷ μνημεῖα τῶν γάμων κτε.

Flor.

Τίμαιος δὲ ἐν Κερκύρᾳ λέγων γενέσθαι τοὺς γάμους καὶ περὶ τῆς θυσίας ἱστορεῖ ἔτι καὶ νῦν λέγων ἄγεσθαι αὐτὴν κατ' ἐνιαυτόν, Μηδείας πρῶτον θυσάσης ἐν τῷ[1]) Ἀπόλλωνος ἱερῷ· καὶ βωμοὺς δέ φησι μνημεῖα τῶν γάμων κτε.

Iterum Flor. et Par. memoriam uberiorem atque mea sententia integram praebent. Talis enim ratio inter testes intercedit ut in his pristinus verborum contextus, in Laurentiano contra contractus ac mutilatus inveniatur. Nam generis dicendi scholiorum proprium est, sententia novi auctoris allata, particulam δέ nomini subiungere. Integra igitur ac bona haec sunt: Τίμαιος δὲ ἐν Κερκύρᾳ λέγων κτε. Scriptor autem Laurentiani brevitatis ut videtur studiosus, cum fere eadem de Timaeo paulo ante ad versum 1153 adscripsisset, hic orationem nimis contraxit. Etiam verba βωμοὺς δέ φησι optima ac vera esse ex sequentibus ὀνομάζουσι δὲ τὸν μὲν Νυμφῶν concludes. Flagitat enim tota oratio nomen βωμούς, ut potissimum docet comparatio ista cum Apollonio, qui etiam has aras commemoravit[2]).

IV 1515. Legimus in Laur. (apud Keilium pag. 526, 22) αἱ δὲ αἰσθόμεναι διώκουσι καὶ αὐτὸν οὐκ ὁρῶσιν. Enuntiatio quidem, quod ad sensum attinet, obscura ac imperfecta est. Adeas autem Florentina: αἱ δὲ αἰσθόμεναι διώκουσιν. οὐχ ὁρῶσι μέντοι αὐτὸν διὰ τὴν ἄϊδος κυνῆν. Si dubites utrum in his pristina oratio an interpolatio insit, confer universum scholium cum Apollod. Bibl. II 36—42, haec maxime verba respiciens: (c. 42 sub finem) αἱ δε Γορ-

1) Par. ἐν τῷ τοῦ.
2) IV 1219.

γόνες ἐκ τῆς κοίτης ἀναπτᾶσαι τὸν Περσέα ἐδίωκον καὶ συνιδεῖν αὐτὸν οὐκ ἠδύναντο διὰ τὴν κυνῆν· ἀπεκρύπτετο γὰρ ὑπ' αὐτῆς.

IV 1780.

Laur.	Flor.
τὰς ὑπὸ τοῦ 'Οποῦντός ποτε περιεχομένας. 'Οποῦς δὲ ποταμὸς Λοκρίδος ἡ πόλις.	τὰ ὑπὸ τοῦ 'Οποῦντός ποτε ἐχόμενα, τοῦ Διὸς υἱοῦ καὶ Πρωτογενείας· οὗ καὶ ἡ πόλις ἐπώνυμος. 'Οποῦς δὲ καὶ ποταμὸς Λοκρίδος.

In Parisinis eadem memoria atque in Flor. exstat, verbis mutatis.

Haec exempla melioris memoriae in Florentinis et Parisinis habeo quae dubio vix obnoxia esse censeam. Quaestionem cum gravem tum intricatam quod longius persequi nequeo aegre fero. Etiam scholia ad libros I—III adscripta, quamquam eadem diligentia atque haec nondum pervestigavi, tamen memoriam habere duplicem asseverare audeo. Quare in calce huius commentationis Bergkii sententiam quasi summam rei et conclusionem repetam: *scholia in Apollonium non possunt solius Laurentiani auctoritate in integrum restitui.*

AD CALLIMACHEA ADDENDVM.

Dum typis exprimuntur ea quae sunt de Callimacho, commentationem Eugenii Dittrich in supplemento XXIII. Annalium philologicorum modo editam inspexi. Qui cum Callimachi Aetiorum libro I tractato etiam scholia Apolloniana in IV 284, 303 emendare conatus sit (pag. 191 seq.), par est pauca addere. Suspicor eum qui haec scripsit (pag. 192) *patet dilucidissime eosdem qui Apollonio auctore (IV 303) per Cyaneas petras navigaverant frustra quaerentes domum redierunt, Callimacho contraria testato Argonautas in Scheria occurrisse*, Apollonii librum quartum nimis neglegenter legisse. Nam neque Apollonio neque Callimacho

auctore Colchi domum redierunt. Cum igitur summa totius rei Dittrichium fugeret, perspicere non poterat quibus de rebus poetae contraria testati essent. De scholii IV 284 distinguendo et intellegendo, non video cur plura dicam. Videant periti uter nostrum propius ad veritatem accesserit.

Vita.

Natus sum Edvardus Fitch Waltoniae in oppido Novi Eboraci civitatis Americanae ante diem VI. kal. Jun. a. h. s. LXIV. patre Georgio, matre Harriet e gente Sinclair. Rudimentis litterarum in scholis Waltonianis instructus per quattuor annos Collegium Hamiltonense frequentavi, et curriculo disciplinarum permenso ante diem VI. non. Iul. a. h. s. LXXXVI. baccalaureum artium liberalium curatores Hamiltonenses me renuntiaverunt. Deinde per annos tres discipulos Collegii Parcensis Missouriensis elementis litterarum Graecarum Romanarumque et historiae Anglicae ipse tiro pro viribus imbui. Tum in Collegium Hamiltonense reversus Edvardum North, olim praeceptorem meum maxime venerandum et professores Hopkins et Brandt in docendi munere fungendo adiuvi. Mense Iulio a. h. s. XCIII ut artem ac disciplinam philologicam diligentius colerem me in Germaniam contuli, ubi ineunte semestri hiberno inter cives academicos Georgiae Augustae receptus sum.

Docuerunt me viri docti Bechtel (nunc Halensis), Dilthey, Kielhorn, Leo, Schulze, Volquardsen, Wilamowitz-Moellendorff. Ad exercitationes archaeologicas Dilthey, historicas Volquardsen, Indicas Kielhorn, grammaticas Bechtel benigne aditum mihi permiserunt. Per bis sex menses regii philologorum proseminarii, regii seminarii per ter sex menses moderantibus Wilamowitzio et Leone sodalis ordinarius fui.

Quanta benevolentia cum professores tum sodales me peregrinum atque hospitem receperint et in sacra philologiae admiserint, semper grata memoria tenebo. Imprimis Udalrico de Wilamowitz-Moellendorff qui me ad hanc dissertatiunculam conficiendam incitavit et semper consilio suo adiuvit, tum Carolo Dilthey et Friderico Leo, egregiis monumentorum antiquorum interpretibus, gratias ago pio gratoque animo quam maximas.

BL 820 A8F5

Fitch, Eduardus
De Argonautarum reditu quaestiones selectae

PLEASE DO NOT REMOVE
SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO
LIBRARY

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS
39 14 12 23 02